f.a.10
~~30 A 10~~

Jean Doultrelousche

CCC K 12

Quesada Moliné,
Rodrigo de

NOTAE SEV INDICES BREVES.

Ad Regulas, Ordinationes, & Conſtitutiones Cancellariæ Apoſtolicæ

S. D. N. GREGORII

Diuina Prouidentia Papæ XV.

Authore

D. RODERICO DE QVESADA Molina I.V. Doctore Hiſpano.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. LVDOVICVM CARD. LVDOVISIVM S. R. E. Camerarium.

R O M Æ,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
M D C X X I.

SVPERIORVM PERMISSV.

ALESSANDRIN

ex libris bibliot. ... dono data ...

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

P. Epiſc. de Curte Viceſg.

EGo Antonius Epiſcopus Caſertanus, cum ſupradictas ad Regulas Cancellariæ Adnotationes, à D. Roderico de Queſada Molina compoſitas, & mihi à Reuerendiſs. P. Hyacinto Petronio Romano Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro exhibitas perlegerim, nihil in ijs repugnans inueni, quò minus in lucem edi poſſint. Et in fidem, &c. Romæ hac die 22. Auguſti 1621.

Ant. Epiſcopus Caſert.

Imprimatur, Fr. Ignatius Ciantes Rom. Lector, Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apoſt. Mag. Socius, Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTRISSIMO, ac Reuerendiſs. D.

D. LVDOVICO CARD. LVDOVISIO S.R.E. Camerario.

DON RODERICVS DE QVESADA Molina. P. F.

AFFERO Tibi Princeps Illuſtriſsime, nouas S.D.N. Gregorij XV. Patrui tui Cancellariæ Regulas, breuiſsimè à me pro captu voluminis & temporis annotatas; res enim moleſta commentū

legis prolixum. Vt autem tibi dedicentur, facit iſta quaſi fulges purpuræ Dignitas, atq. Officij amplitudo cum ſumma eruditione coniuncta: facit lumen animi conſilijque, quo nimirum adeò huic Vrbi (quæ Orbis veluti Cælum eſt) illuceſcis, vt iam omnium ornamenta litterarum debeantur claritati generis, ac nominis tui. His accedit, ſingularis tua in omnes, præſertim iuris ſtudioſos, humanitas, ab humaniſsimo & eruditiſsimo Patruo hæreditate acquiſita. Accipe igitur Illuſtriſsime Princeps hoc quicquid eſt muneris, ſub tua clientela;

& quam diutiſſimè bono publico vale, ac me tui nominis deuotiſſimum ſolidiora edere parantem protege. Datum Romæ Prid. Id. Aprilis. 1621.

DON ALPHONSVS
DE CARDENAS
Adarue.

Ad Lectorem.

SI nimiæ cartæ, ſeràq. coronide gloſſæ
Exagitant ſtomacho tædia magna tuo:
En tibi, Lector, adeſt liber hic pro millibus vnus,
Paucis multa docens, & breuitate comis:
Hunc lege, namque animus docilis breuitate loquendi
Gaudet, & acceptum mente fidelis habet.

Ad

Ad Lectorem.

PER *varias interpre. tantium Sententias totum penè ius conturbatum vidit ſuo tēpore Iuſtinianus. Pro cuius remedio in l. 1. in fine. De conceptione Digeſtorum in hæc verba prorumpit:* Sufficiat per Indices tantummodo, & titulorum ſubtilitatē (quæ paratitla nuncupantur) quædam admonitoria eius facere. *Hanc quidem perturbationem in Commentatoribus Regularum Cācellariæ accidiſſe, nemo eſt qui poſſit ambigere, ſi attentè renoluat Alphonſum de Soto Hiſpanum, qui primus omnium iſtas Regulas commento donauit, ideoque Gloſſator Antiquus communiter appellatur: & Ludouicum Gomeſium Epiſcopum Sarnenſem natione etiam Hiſpanum, qui 13. Regulas (quas ipſe vocat Iudiciales) per 240. quæſtiones, rationibus hinc inde ad lon-*

gum adductis, explicare contendit: Similiter & Quintilianum Mandoſium Romanum, qui in ſola explicatione dimidiæ partis Regularum duos Tomos cõſcripſit 423. Quæſtionibus refertos: Denique & Hieronymum Gonzales noſtrũ etiam Hiſpanũ, qui in ſola Regula nona quæ apud ipſum eſt octaua, totam materiam beneficiariam complecti conatur. Ex tanta igitur Scripturæ ac Quæſtionum diuerſarum mole, duorum alterum effici *in Curialibus nouitijs* neceſſe eſt, (*vt cum eodem Iuſtiniano fateamur*) quod cũ rudis adhuc animi ſint, multitudine ac varietate rerum onerati, aut deſertores huiuſmodi ſtudij efficientur, aut cum magno labore ſerius ad cognitionem *iſtarũ Regularum (quarum materia frequens eſt & neceſſaria)* perducentur, ad quam leuiori via ducti maturius perduci potuiſſent. *Vale.*

Ad

REGVLAE, ORDINATIONES, ET CONSTITVTIONES Cancellariæ Apoſtolicæ, S. D. N. D. GREGORII Diuina prouidentia Papæ XV.

SAnctiss. in Chriſto Pater & D. N. D. Gregorivs Diuina prouidentia Papa XV. ſuorum Prædeceſſorum veſtigijs inhærendo, normam & ordinem rebus gerendis dare volens, in craſtinũ ſuæ aſſumptionis ad Summi Apoſtolatus apicem, videlicet die 9. Menſis Februarij Anno ab incarnatione Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, Reſeruationes, Conſtitutiones

nes, & Regulas infraſcriptas fecit, quas etiam ex tunc ſuo tempore duraturas obſeruari voluit, ac quas Nos Alexander S. Laurentij in Damaſo Epiſcopus Albanen. Cardinalis Montaltus S. R. E. Viceecancellarius, die 20. Menſis Februarij dicti Anni, in Cancellaria Apoſtolica publicari fecimus.

Notæ.

Regulæ: ideſt Canones, ſiue Sanctiones, ordinationes, vel conſtitutiones; ſunt enim ſynonima, & ſic idem ſignificant in hoc loco: nam nomen Regula, eſt idem quod Canon, quia Canon græce regula nuncupatur, *cap. Canon*, & *cap. reg. diſt.* 3. qua ratione in iure ciuili multæ etiam leges appellantur regulæ, quales ſunt illæ quæ iacent ſub tit. *ff. de reg. iur.* Sed non ideo intelligas, quod hic ſumitur regula pro breui enarratione iuris iam conſtituti, pro vt in illo titulo: quia iſtæ regulæ ſemper ſunt nouæ Conſtitutiones, licet iam ante per plures annos ſimiles factæ ſint a diuerſis Pontificibus. Sciendum eſt enim, quod quilibet Papa initio ſui pontificatus volens dare normam & ordinem rebus de nouo gerendis,

rendis, iſtas regulas de nouo conſtituit, addendo aliquid vel mutando, iuxta negotiorum, & occurrentium cauſarum varietatem, prout dicitur in *Regula* 28. infra, & ideo ſuo tantum tempore duraturas decernit, & non vlterius; ad quod conueniunt duo Abbreuiatores de Parco maiori, duo Auditores Rotæ antiquiores, totidem Aduocati, ac Procuratores, magis docti & practici, cum aliis, teſte *Caſſad. deciſ.* 3. *num.* 2. *de reſeruat.*

Cancellariæ: dicuntur regulæ Cancellariæ, quia in ea regiſtrantur & publicantur, & quia maior pars regularum continet expeditionem litterarum per Cancellariam faciendam, vnde cauſa demonſtrationis appellantur Regulæ Cancellariæ, argumento *l. Inſula* 56. *ff. de acquir. rer. domin.* & ſic nota bene, quod non ſunt Conſtitutiones locales ſed generales; quia ligant etiam extra Cancellariam, prout late diſputat & reſoluit *Ludouicus Gomeſius in prooemio regularum Cancellariæ q.* 2. *per totam.*

Suorum prædeceſſorum: ſcilicet a Ioanne XXII. qui floruit anno 1316. teſte *Laertio Cherubino in Bullario nouo tom.* 1. *pag.* 153. & fuit primus omnium regularum author. Nam licet longe ante ipſum Cancellaria Apoſtolica, & Vicecancellarii officium præceſsiſſe videantur;

Nihilo-

Nihilominus regulæ iſtæ non fuerunt eo tempore, ſed longo poſt interuallo conditæ. Nam Cancellaria ſine lege certa, ſine iure certo primum agere inſtituit, ita vt tunc temporis negotia, non regulis, ſed viuæ vocis mandato regerentur. *Gomeſius vbi ſupra q. 1. in princ.* Excreſcente vero negotiorum mole, prædictus Ioannes XXII. regulas quaſdam, ſiue leges ad Cancellariam tulit, eaſq. in ſcripta redegit: tulerunt & ſequentes Pontifices ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, donec Nicolaus V. eas omnes ad hunc ſtatum, & ordinem reduxit. *Rebuff. hic in verb. Conſtitutiones, in fine.*

2 *Ex tunc:* hoc eſt in craſtinum ſuæ aſſumptionis, videlicet dié 10. Menſis Februarii, quia die 9. præcedenti fuit aſſumptus ad Summi Apoſtolatus apicem. Vnde nota, quod iſtæ regulæ ligant etiam ante earum publicationem, (quæ vt apparet in fine huius prooemii) fuit facta die 20. dicti Menſis Februarii, & ſic poſt vndecim dies ex quo Papa eas obſeruari voluit. Et licet regulariter leges nullam vim habeant ante publicationem, §. *Sancimus authen. vt factæ nouæ Conſtitutiones poſt inſinuationes earum poſt duos menſes valeant*, limitatur tamen, quando Princeps contrarium velit. *gloſ. in Clem. 2. verbo ex tunc, de hæreticis.* præſertim cum

iam

iam Regulæ hoc tempore dicantur eſſe non tantum de ſtylo, ſed etiam de iure, & ſic earum publicatio non fiat ad effectum vt innoteſcat, ſed vt appareat de voluntate approbatoria ipſius noui Pontificis. *Rota deciſ. 256. num. 3. & 4. par. 2. diuerſ.*

Rubrica Regulæ primæ.

Reſeruationes generales, et ſpeciales

Notæ.

1 *Reſeruationes:* Reſeruatio de qua hic, diffinitur, vt ſit beneficii eccleſiaſtici vacaturi per Pontificem ad ſe facta auocatio. *Aeneas de Falcon. in tractat. de reſeruation. q. 1. principali num.* 1. & dicitur reſeruatio, quaſi præſeruatio, præuentio, ſeu repræſentatio: ſicuti prælegatio dotis, dicitur dotis relegatio in *l. 1. ff. de dote prælegata.* relegatur dos, hoc eſt, reddi legatur, quia in legato dotis præſentis temporis commodum eſt; ideo dicitur prælegatum, quaſi præſens dari legatum; ſic reſeruatio quaſi reddi ſeruatum, præſens ſcilicet, & quaſi iam vacans beneficium ſeruatur ex nunc, vt poſtea cum vacauerit redeat ad prouiſionem Papæ. Quia ſciendum eſt, quod Papa ſicut

cut Princeps eſt omnium ſacerdotum qui eos efficit, & omnes eccleſiaſticos ordines diſponit. *cap.* 1. *§. Pontifex. diſt.*21. ſic etiam eſt Dominus abſolutus omnium beneficiorum. *cap.* 2. *de præbendis. lib.* 6. & *cap. ſi Papa* 10. *de priuileg. eod. lib.* ita vt ab eo tamquam a fonte omnis Iuriſdictio procedat, fluat, & refluat, & ideo Epiſcopi in ſuis Dioeceſibus dicuntur Papæ Vicarii. *Selua de benefic.* 2. *par. q.* 1. *nu.* 19.

Vnde cum Papa reſeruat beneficia, nihil aliud facit quam iubere ad ſe redire illorum prouiſionem cum vacauerint: in quo nullam ſibi vendicat poteſtatem alienam, ſed ſuo antiquo proprio & primæuo iure vtitur, ſicut dicimus de filio quem pater poſt emancipationem a ſe factam iterum adrogauit, quod non tranſlatus, ſed redditus in poteſtatem cenſeatur. *l. filio quem pater* 23. *ff. de lib. & poſthu.*

Hinc eſt, quod immerito poſſunt Ordinarii, qui non in plenitudinem poteſtatis ſed in partem ſollicitudinis ſunt vocati. *cap.* 4. *de authoritate, & vſu pallij,* conqueri de Papa, cum non dicatur is damnum pati, qui eo veluti lucro quo, ad huc vtebatur, prohibetur. *l. Proculus* 26. *ff. de damno infecto.* maxime cum reſeruatio non fiat de beneficiis iam vacantibus, ſed de poſtea vacaturis: quia hoc caſu facultas conferendi dicitur auferri Ordinariis,

narijs, ad inſtar ſerui Kalendario præpoſiti, cui ante contractum reuocatur mandatum re adhuc integra, iuxta *l.1. §. ſed ego quæro, ff. quod iuſſu*.

Generales: dicuntur generales, non quia plura beneficia generaliter ſunt reſeruata, puta vnius Regni vel Prouinciæ, ſed quia ratio reſeruandi fuit generalis, & publicum fauorem atque vtilitatem reſpiciens. Cum enim de diuerſis mundi partibus ad Sedem Apoſtolicam, tamquam ad communem matrem Clerici indigentes quotidie confluant, *cap.2. de priuileg. in ſexto.* quibus paterna prouiſione Summus Pontifex ſubuenire tenetur, *gloſſa in extr auag. execrabilis §. quæ omnia, in verbo reſeruamus de præben. Ioan.* 22. ne alias in plateis mendicare cogantur in opprobrium ordinis Clericalis. *cap. Diaconi* 23. *ad med. diſt.* 93. Inſuper, cum ſit prouidendum nobilibus & magnis perſonis, vel eorum filiis & conſanguineis, quorum induſtria & opera Eccleſia ſæpe adiuta eſt, & in dies adiuuatur, vt notat *Simonetta* inter alias plures rationes quas congerit *in tract. de reſeruat. q.3. num.5.* iuſtum fuit, æquum & neceſſarium, aliquem modum inuenire per quem Papa poſſet de ingratitudine non redargui, imo de beneficiis multis prouidere, vt pro tempore ad ſeruiendum,

dum, & auxilium Sedi Apoſtolicæ præſtandum cuncti facilius inducerentur. *Gonzal.ſuper reg.*8. *gloſſ.*4. *n.*195.

Et hoc eſt quod breui compendio dicitur infra in principio *regulæ* 9. ibi, *Cupiens D. N. Papa pauperibus Clericis, & alijs benemeritis perſonis prouidere, &c.*

Hinc nota, quod iſtæ reſeruationes (cum ſint generales, & in publicum fauorem principaliter introductæ) dicuntur eſſe fauorabiles, licet ſecundario redundent in præiudicium inferiorum Collatorum, arg. tex. in *l. qui exceptionem* 40. *ff. de condict. indeb.* & ſic pleniſsimam recipiunt interpretationem. *Lap. alleg.* 26. incip. *diſputat num.* 2.

Fauor autem interpretationis, non in eo conſiſtit, vt ſi expreſſe non ſit aliqua reſeruatio in eſſe deducta, nos eam per aliquam extenſionem introducamus de nouo; ſed in eo ſolum quod poſtquam iam fuerit per Papam in eſſe deducta, ſi agatur de illius effectu, tunc eam viribus omnibus fauere debemus, non ſtricte ſed large, ita vt ſuum plenum ſortiatur effectum, prout in materia penſionum docuit *Hieron. Gigas in tract. de penſ. q.* 96. *per totam*, & in materia attentatorum *Lancellot. de atten. in præfat. par.* 1. *nu.* 117.

Et ſpeciales: hoc verbum vacat in hac rubrica, quia nihil agitur de reſeruationibus

nibus ſpecialibus, cum iam non ſint in vſu propter decretum *S. Concilij Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 19. Quales autem fuerint olim ſpeciales reſeruationes, vide apud *Garciam de benefic. par.* 5. *cap.* 1. *ex nu.* 56. Nunc tamen hoc nota, quod rubricæ ſiue ſummaria Regularum Cancellariæ, non ab ipſarum Conditoribus, ſed ab Impreſſoribus, vel ſimilibus authoritatem id faciendi non habentibus, fieri conſueuere, prout bene notat *Mãdoſius ſuper Reg.* 13. *q.* 1. *in fine*. Ideo enim, inquit ille, videmus, quod plures ex iſtis regulis in Cancellaria ſeu eius Archiuio, carent huiuſmodi rubricis ſeu ſummarijs. Et ego notaui, quod Regulæ Innocentij VIII. quas commentauit gloſſator antiquus, omnino carent rubricis, vt videre eſt. Vnde cum non ſint Authenticæ, non debet ab ipſis ſumi argumentum, prout alias vidi in vna *Papien. beneficij* 10. *Aprilis de anno* 1617. *coram bo. mem. Martino Andrea*, ſicut de Rubricis libri decretorum idem docet *Euerardus in loco à Rubrica verſ. & quia dixi.*

Regula Prima.

IN primis, fecit eaſdem reſeruationes, quæ in Conſtitutione fel. record. Benedicti Papæ XII. quæ incipit,

cipit, *Ad regimen*, continentur, & illas innouauit, ac locum habere, voluit, etiam ſi officiales in eadem, Conſtitutione expreſſi, Apoſtolicæ Sedis officiales ante obitum eorum eſſe deſierint, quo ad beneficia quæ tempore quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus, beneficia quę dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum ſuorum huiuſmodi, eiuſdem Sedis Notarij erant, etiam dimiſsis ipſis officijs, & quandocunque aſſequuti fuerint, ſub huiuſmodi reſeruationibus cōprehendi. Ac reſeruauit beneficia, quæ per Conſtitutionem piæ me. Ioannis Papæ xxII. quæ incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerit. Quam Conſtitutionem, & reſeruationem, S.S. tàm ad beneficia obtenta, quàm ad alia quæcumque, de quibus Ordinarij Collatores cōtra Concilij Tridentini decreta diſpoſuerunt, & diſponent in futurum, extendit & ampliauit. Et ea etiam beneficia diſpoſitioni ſuæ reſeruauit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Colla-

tores,

tores, contra eiuſdem Concilij decretorum formam diſpoſitum fuerit.

Notæ.

Ad regimen: iſta conſtitutio habetur inter extrauagantes communes ſub titulo *de præbendis, & dignitatibus c.* 13. quam reperies ad literam in calce huius opuſculi.

Declarans nihilominus: Tres ſunt ſpecies Protonotariorum Prima participantium, qui a Papa Clemente I. deputati fuerunt ad conſcribenda geſta martyrum, vt late explicat *Sarnen. ad Regul. Cancellariæ q.* 1. *de origine Protonotariorum*, & fuerunt numero ſeptem, hodie tamen ſunt numero duodecim propter additionem factam a fel. rec. Sixto V. *conſtitut.* 12. incipit *Romanus Pontifex in Bull. nou. tom.* 2. *fol.* 502. Horum omnium beneficia fuerunt reſeruata per extrauagantem, Ad regimen, de qua ſupra.

Secunda ſpecies eſt Protonotariorum creatorum a Papa per Bullam vel Breue, vel a Legatis de latere, quorum quidem magnus eſt numerus, vt dicit *Sixtus Quartus in extrauag. prima §. & quoniam de treg. & pace*. Horum etiam beneficia ſunt Papæ reſeruata, prout iam pluries a *Rota* fuit deciſum, maxime *in cauſa Burgen.*

Abba-

Abbatiæ de Salas 14. *Maij* 1602. *coram R. P. D. Vbaldo*.

Tertia, & vltima ſpecies Protonotariorum eſt ratione officiorum, quando ſcilicet quis ratione alicuius officii efficitur Protonotarius, vt in Scriptore Apoſtolico, & in Milite de lilio, Milite S. Petri, & aliis familiaribus Papæ capacibus. Horum beneficia dubium erat an eſſent reſeruata, ſaltem illa quæ dimiſsis ipſis officiis poſtea aſſequuti fuerant. Ideo hic Papa declarat quod ſic, ex quo adhuc remanet Protonotarii Sedis Apoſtolicæ, licet iam dimiſiſſent officia, quorum ratione tales Protonotarii fuerunt a principio effecti. *Rota in cauſa Comen. Cappellæ* 7. *Februarij* 1620. *coram R. P. D. Remboldo*.

Execrabilis: iſta Conſtitutio habetur inter *extrauagantes Ioann.* 22. ſub titulo *de præb. & Dignitatib. cap.* 1. & iterum inter *extrauagantes communes* ſub *eodem tit. cap.* 4. quam vide ad literam in calce præſentis opuſculi.

Contra Concil. Trident. decreta: veluti, ſi conferat aliquod beneficium Curatum ei qui 25. ſuæ ætatis annum non attigerit, quod eſt contra decretum *Concilij in cap.* 3. *ſeſſ.* 7. *de reformat.*

Item, ſi conferat Dignitates, Perſonatus, officia, præbẽdas, portiones, aut quælibet

libet alia beneficia, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet vt alii miſſas, alii Euangelium, alii epiſtolas dicant, ſeu cantent, iis qui ætatem, & cæteras habilitates non integre habere dignoſcantur, quod eſt contra decretum *Concilij cap. 4. ſeſſ. 22. de reform.*

Item, ſi conferat beneficium aliquod etiam ſimplex alicui qui ſaltem prima tonſura initiatus, & in decimo quarto ſuæ ætatis anno conſtitutus non ſit, quod eſt contra decretum *Concil. in cap. 6. ſeſſ. 23. de reform.*

Item, ſi conferat officia vel Dignitates quæ Scholaſtriæ dicuntur, iis qui non ſint Doctores vel Magiſtri aut Licentiati in ſacra pagina, aut in iure Canonico, quod eſt contra decretum *Concilij in cap. 18. verſ. de cætero ſeſſ. 23. de reformat.*

Item, ſi conferat aliquam ex Dignitatibus quibus animarum cura ſubeſt, ei qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum non attigerit, & in Clericali ordine verſatus, doctrinam ad ſuum munus exequendum neceſſariam non habuerit: Vel ſi conferat Archidiaconatum ei qui Magiſter in Theologia ſeu Doctor, aut Licentiatus in Iure Canonico non ſit, aut conferat Dignitatem, Canonicatum, aut portionem ei qui eo ordine ſacro non ſit initiatus, quem illa Dignitas,

præ-

præbenda aut portio requirit, aut in tali ætate conſtitutus, vt infra annum initiari non valeat, quod eſt contra decretum *Concil. in cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.*

Item, ſi præbendam Poenitentiariæ conferat alicui qui magiſter non ſit, vel Doctor aut Licentiatus in Theologia vel iure Canonico, & annorum quadraginta, quod eſt contra decretum *Concil. in c. 8. ſeſſ. 24. de reformat.*

Item, ſi conferat beneficia filiis Clericorum qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, conſiſtentia in eccleſiis, vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quod eſt contra decretum *Concilij cap. 15. ſeſſ. 25. de reformat.*

Regula Secunda.

Extenſio reſeruationis Beneficiorum per aſſecutionem pacificam vacaturorum.

ITem, ne de beneficijs Eccleſiaſticis, præſertim curam animarum habentibus, ſeu alias perſonalem reſidentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apoſtolica aucto-

ritate

ritate prouiſi ſeu prouidendi, ante illorum aſſequutionem alia cum eiſdem incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica per eos tunc obtenta, in fraudem reſeruationis ſuæ reſignent ſeu dimittant, Voluit decreuit & declarauit, quod ſi in poſterum, quibuſuis perſonis de aliquibus beneficijs Eccleſiaſticis tunc vacantibus, ſeu vacaturis, per Sanctitatem ſuam, aut eius auctoritate prouideri ipſosque prouiſos ſeu prouidendos, intra vacationis, & prouiſionis, ſeu aſſecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica ſecularia, vel quorumuis Ordinum ac etiam hoſpitalium regularia per eos tunc obtenta, nulla ſpeciali & expreſſa de eiſdem in prouiſionibus prædictis facta mentione, ſimpliciter vel cauſa permutationis, ac alias quomodolibet, ſiue in Sanctitatis ſuæ vel alterius Romani Pont. pro tempore exiſtentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, ſiue Ordinariorum, vel aliorum Collatorū

quorumcumque manibus reſignare ſeu dimittere, aut iuribus ſibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes & ſingulæ conceſſiones, collationes, prouiſiones, & quæuis aliæ diſpoſitiones de beneficijs ſeu iuribus ſic reſignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum inde ſecutis quibuſcumque, caſſæ & irritæ, nulliusq roboris vel momēti exiſtant, nec cuiquam ſuffragentur, ſed beneficia & iura vt præfertur reſignata, dimiſſa, & ceſſa eo ipſo vacent, & vacare, ac ſub reſeruatione prædicta, quam S.S. etiam quo ad hoc extendit, & ampliauit, comprehenſa cenſeantur. Ita quod de illis per alium quàm eandem S.S. vel pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem nullatenus diſponi poſſit, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi per pacificam aſſecutionem beneficiorum aliorum huiuſmodi vere & realiter vacauiſſent. Decernens irritum, &c. attentari.

Notæ.

Hæc Regula eſt de nouo addita a Sanctiſſ. D. N. Gregor. X V. non tamen de nouo facta, quia iam ante per fel. recor. Paul. V. fuit ædita de anno 1609. prout apparet in *Bullar. nouo to. 3. fol. 250.* incipit *Sanctiſſ. in Christo Pater*, quam ad literam refert *Garcia in tract. de benef. par. 11. cap. 5. num. 64.*

Regula Tertia.

Reſeruatio Cathedralium Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac de tempore vacationis Epiſcopatuum vacaturorum beneficiorum.

ITem, reſeruauit generaliter omnes Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, nec non omnia Monaſteria virorum, valorem annuum ducentorũ florenorum auri communi extimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in poſterum vacatura. Et voluit, quòd exceſſus huiuſmodi

iuſmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reſeruauit dignitates, & beneficia omnia, ad collationem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem Patriarcharum, Primatuũ, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum & collatricum, ſæcularium & regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia) quæ poſt illorum obitum, aut Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, vel aliarum dignitatum ſuarum dimiſſionem, ſeu amiſſionem, vel priuationem, ſeu tranſlationem, vel aliàs quomodocumque vacauerint, vſque ad prouiſionem Succeſſorum ad eaſdem Eccleſias, aut Monaſteria, vel dignitates Apoſtolica auctoritate faciẽdam, & adeptam ab eiſdem ſucceſſoribus pacificam illorum poſſeſſionem quomodocumque vacauerint, & vacabunt in futurum.

Notæ

Notæ.

Tria beneficiorum genera reſeruat hic Papa. Primo, reſeruat Eccleſias Patriarchales, quæ etiam primatiales appellantur *cap.1 ad med. diſt.* 99. Item Eccleſias Archiepiſcopales & Epiſcopales, quarum omnium electio de iure communi ad Capitulum & ad Canonicos ſpectabat. *cap. cum eccleſia ſutrina 3. de cauſ. poſſ. & prop. Pariſ. conſ. 19. num. 5. lib. 4.* Et ratio ſecundaria huius reſeruationis fuit, vt ſic tollerentur diſcordiæ magnæ, quæ quotidie oriebantur in electionibus a Capitulo, & Canonicis factis, notat *Lancellot. in ſuis Inſtit. canon. tit. qui eligere eligiue poſſunt, in principio, verbo hodie* Coepit autem feri hæc reſeruatio in extrauaganti Ad regimen de præbendis, non tamen ſimpliciter, vt hic, ſed addita clauſula, *nunc apud Sedem vacantes, vel in futurum vacaturas,* & ſic ſolum reſeruabantur ibi vacantes apud Sedem, non etiam extra Curiam, vt in hac Regula reſeruantur. notat *Mandoſ. hic q. 1. num. 3. in fine.*

Secundo, reſeruat hic Papa Monaſteria, ideſt, Abbatias virorum, non tamen Monialium, quæ habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, declarat. *Mandoſ. in reg. 26. q. 3. num. 9. verſ. aduertant tamen*

 Iunio-

Iuniores. Monaſterium enim interprætatur, hoc eſt Abbatis territorium. *Card. in Clem. prima in 10. notab. de ſtatu monac.*

Tertio, reſeruat omnia beneficia quomodocumque vacantia poſt obitum Epiſcoporum, & aliorum quorumcumque inferiorum Collatorum vſque ad prouiſionem ſucceſſorum, & poſſeſsionem pacificam ab ipſis adeptam, ita quod beneficia quæ vacant toto illo intermedio, pertinent ex hac regula ad prouiſionem Pon tificis, non autem ad prouiſionem ſucceſſoris in Epiſcopatu, prout olim pertinebant *gloſſ. in cap. cum olim* 14. *verb. cap. de maior. & obed.*

Excipiuntur tamen illa beneficia, quæ non ſunt liberæ collationis, ideſt beneficia quorum collatio non poteſt fieri ab Epiſcopo abſque alterius electione, præſentatione, ſiue interuentu, declarat *Gonzal. ſuper reg. 8. gloſſ. 45. num. 10.*

Regula Quarta.

Reſeruatio Dignitatum, necnon ſuorum, et S. R. E. Cardinalium familiarium, beneficiorum.

ITem, reſeruauit generaliter diſpoſitioni ſuæ omnes dignitates maio-

maiores poſt Pontificales, in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non valorem, decem florenorum auri communi extimatione excedentes, principales in Collegiatis Eccleſijs. Reſeruauit etiam Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, ac alias dignitates conuentuales, & Perceptorias generales Ordinum quorumcumque (ſed non militiarum.) Ac quæcumque beneficia, quæ ſui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, exiſtentes, ac S.R.E. viuentium nunc, & qui erũt ſuo tempore Cardinalium, familiares continui commenſales obtinent, & in poſterum obtinebunt, eorum, familiaritate durante, ac in quibus, ſeu ad quę ius eis competit, aut competierit, etiam ſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorũdum, vel alias receſſerint. Declarans, dignitates, quæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis, poſt Pontificales non maiores exiſtunt, quæ ex Apoſtolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut conſuetudi-

ne præſcripta, vel alias quouis modo, in collegiatis Eccleſijs principalẽ præeminentiam habere noſcuntur, ſub reſeruatione prædicta comprehendi debere.

Notæ.

Maiores poſt Pontificales: Ideſt primæ dignitates poſt Epiſcopales: cognoſcuntur autem eſſe maiores ſiue primæ, ex ordine & adminiſtratione *gloſſ. in cap. deliberatione 4. verb. electionis poſt med. de offic. leg. in ſexto*. Certior tamen Regula erit conſuetudo vnius cuiusq. Prouinciæ, & Eccleſiarum iuxta quam aliquando Dignitas Decanatus, Prioratus, Archidiaconatus, ſeu alia primam ſedem poſt Epiſcopum habere ſolet. *Rota deciſ. 9. de præb. in nou.* incip. *de Theſauraria*.

Reſeruat etiam: Hic reſeruat Papa dignitates principales Regularium Conuentualium, ſiue Monaſteria fratrum, quæ non reguntur per Abbates, ſed per Priores, vel Præpoſitos, nam de illis quæ per Abbatem reguntur loquitur regula procedens in prima eius parte, notat *gloſſator hic in ſecunda parte verſ. poſtea Conſului D. Nicolaum*.

Intellige tamen hanc Regulam loqui

de

de illis Dignitatibus Regularibus quæ ſunt perpetuæ,non autem de his quæ ſunt temporales, & ad nutum amouibiles, vt ſunt Prioratus ſancti Auguſtini, ſancti Dominici, & ſimiles ordinum mendicantium,declarant *Gonzal.ſuper reg.8.gloſ.8. num.50. & Garzia de benef. par. 5.cap. 1. num. 272.*

Sed non militiarum: veluti Præceptorias ordinis ſancti Iacobi de Spata (vulgo Encomiendas de Santiago) Præceptorias de Alcantara,de Calatraua, & ſancti Ioannis Hieroſolimitani.*Gonzal.gloſſ.51. num. 60.*

Familiares: Variis modis,& ſecundum ſubiectam materiam in iure appellantur familiares *l. pronuntiatio §. familiæ ff. de verb. ſignif.*ad propoſitum tamen huius Regulæ,illi dicuntur familiares qui ſe deputant ad honeſtum ſeruitium Papæ vel Cardinalium, quos vulgo Criados appellamus *Simonet. de reſeruat.q.35.nu.3.* & ſufficit ad hunc effectum,quod durante familiaritate beneficia obtinuerint, quantocumque paruo tempore duret familiaritas. *Garzia de benefic.par.5.cap.1. num. 276.*

Commenſales: ſic in *cap.fin. de verb. ſignif.in ſexto.*

Declarans dignitates: exemplum pone in Archidiaconatu de Viruieſca in Hiſpa-

nia,quæ eſt dignitas principalis in Eccleſia Collegiata oppidi de Viruieſca, & in Cathedrali Eccleſia Burgen. habet ſedem non tamen primam, nec maiorem poſt Epiſcopalem.

Regula Quinta.

Reſeruatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

ITem, reſeruauit generaliter omnia, & ſingula beneficia Eccleſiaſtica quorumcumque Collectorum, & vnicorum in quacumque Ciuitate, vel diœceſi, qui ſuo tempore officia exercuerint, Subcollectorũ fructuũ, & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, ſeu ad quæ ius tunc eis competebat.

Notæ.

Quorumcumque Collectorũ: & ſic quãuis plures ſint Collectores in vna Ciuitate vel Dioeceſi, omnium tamen beneficia ſunt reſeruata, ex verbo quorum-

cum-

cumque, quod nihil excipit *cap.ſolitæ 6. in fine de maior. & obed.*

Et vnicorum: ſcilicet Sub collectorũ, Nam ſi duo fuiſſent deputati, beneficia neutrius eſſent reſeruata, licet vtriuſque deputatio valeat, quia hic non prohibentur plures deputari, ſed ſolum reſeruantur beneficia Sub collectorum, vnicorum.

Si tamen plures Sub collectores ſucceſsiue vnus poſt alterum deputarentur in aliqua Ciuitate, vel Dioeceſi, ita quod eodem tempore vnicus tantum fuiſſet ibidem. Sub collector, eorum omnium beneficia erunt reſeruata; quia ſatis eſt, quod eodem tempore vnus tantum ſub collector reperiatur. *Rota deciſ.* 11. *de preben. in antiquis*.

Suo tempore exercuerint: additum eſt illud verbum, ſuo tempore, ad denotandum quod exercitium non eſt præciſe neceſſarium, quando nulla ſe obtulit occaſio exercendi, nam ſufficit ſuo tempore, id eſt, cum venerit talis occaſio, quod ſub collector non recuſet laborem, & ſic quod ex parte ſua ſit ſemper paratus ad exercendum. argum. tex. in *l. pater Seuerinam.* 100. *in princ. ff. de cond. & demonſt.* & in terminis eſt *deciſio Caputaq.* 140. *& ſeq. par.* 1.

Durante eorum officio: reſeruat Papa

 hic

hic omnia beneficia quæ Collectores, & ſubcollectores obtinebant, tempore quo erant tales, licet ante eorum officium illa aſſequuti fuiſſent, quia hæc Regula ſolum intendit excludere beneficia de nouo acquiſita poſt finitum officium. *Rota deciſ.10. de præben.in nou.*

Regula Sexta.

Reſeruatio beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

ITem, reſeruauit omnia et ſingula beneficia Eccleſiaſtica, quorũrumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam ſequendo decedere contigerit, in quouis loco, quantumcumque etiã à dicta Curia remoto.

Notæ.

In hac Regula continetur idem quod in *cap. præſenti 34. §. fin. de præben. in ſexto.*

Quorumcumque Curialium: De quibus Curialibus hic loquatur deſumitur ex tex. *in extrauag. ex debito 5. §. huiuſmodi de elect.* Nam licet illa Conſtitutio fuerit

tem-

temporalis, vt patet ex eius verbis, ibi *donec Chriſti dignatio nos dignabitur vniuerſalis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ regimini præſidere*, tamen non eſt nouum vt priores leges ad poſteriores trahantur, ita vt ad eas quoque perſonas pertinere videantur *l. non eſt nouum cum ſeq. ff. de legibus*.

Dum Curia Romana: ad effectum huius reſeruationis, videbatur Curiam Romanam tantum intelligi pro loco vbi eſt audientia cauſarum, & literarum Apoſtolicarum expeditio, & non vbi eſt Papa: ſed contrariũ declarauit Clemens Octauus, *conſt. 54. in Bull. nouo to. 3. fol. 70.* nempe, vnam & eandem Romanam Curiam exiſtere & cenſeri, in Vrbe, & vbi eſt Papa, etiam quoad beneficia quæ tam in dicta Vrbe, quam in Ciuitate ad quam Papa ſe contuliſſet, vacarent.

Regula Septima.

Reſeruatio beneficiorum Cubiculariorum & Curſorum.

ITem, reſeruauit generaliter idem D.N. Papa diſpoſitioni ſuæ, omnia beneficia Cubiculariorum, etiã Honoris nuncupatorum, ac Curſorum ſuorum. Declarans, in præde-

ceſſo-

ceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum Conſtitutionibus & Regulis reſeruatorijs beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earũ editionis & publicationis intelligi & comprehendi, ac comprehenſos fuiſſe & eſſe. Irritum &c. attentari decernens.

Notæ.

Cubiculariorum: duæ ſunt ſpecies Cubiculariorum qui hoc nomine appellari poſſunt, videlicet Cubicularii ſecreti Papæ, & Cubicularii Officiales qui officium habent in Cancellaria, iuxta quandam Conſtitutionem Leonis Decimi, quæ prohibet, quod nullus alius præter hos nomen aut titulum Cubiculariorum vſurpet. refert *Garzia de benef.p.5.cap.1. num.* 398.

Beneficia Cubiculariorum Officialium iam fuerunt expreſſe reſeruata per *Conſtitutionem tertiam Pauli Tertij*, quæ eſt in *Bullario nouo tomo* 1. *fol.* 615. Vnde, a ſufficienti partium enumeratione intelligenda eſt hac Regula de Cubiculariis ſecretis tantum, quicquid dicat *Garzia vbi ſupra.*

ſupra . nam licet tanquam Papæ familiares fuiſſent iam compræhenſi in Regula quarta, non tamen eſt inconueniens, quod ratione maioris dignitatis quam habent, fiat particularis reſeruatio ſuorum beneficiorum, prout in terminis dixit *Rota in vna Seguntina Archidiaconatus, & Canonicatus* 19. *Martij* 1601. *coram Lancellotto* relata ab eodem Garzia, *vbi ſupra num.* 332.

Etiam honoris nuncupatorum: Hæc extenſio ſiue declaratio eſt hic de nouo adiecta a Sanctiſſ.D.N.Gregorio XV.non tamen de nouo facta, quia iam per piæ mem. Paul. V. fuit ædita de anno 1617. prout apparet in quadam eius Conſtitutione, quæ per manus fertur.

Declarans: hæc verba vſque ad finem non reperiuntur in Regulis antiquis, ſunt tamen deſumpta ex ſupradicta Pauli V. Conſtitutione.

Curſorum ſuorum: Curſores Papæ ſunt illi qui habent locum ad inſtar Tribunalis, quod vulgo banchum Curſorum nuncupatur, & fere omnes ſunt Clerici, & in Clericali habitu incedunt. *Mandoſ. hic q.* 2. *num.* 5. horum officium eſt Cardinalibus intimare Capellas & Conſiſtoria Papæ, & alia ſimilia, vocanturq. Curſores ad differentiam aliorum qui Mandatarii dicuntur, *Paulus Quintus: Con-*

ſtitu-

ſtitutione 71. §. 21. in Bullar. tomo tertio, fol. 282.

Regula Octaua.

Reſeruatio beneficiorum Eccleſiarum S. Ioan. Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, & beneficiorum titulorum Card. à Curia abſentium.

ITem, reſeruauit diſpoſitioni ſuæ generaliter, quoſcumque Canonicatus & præbendas, ac dignitates, perſonatus, & officia in S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtorum, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, Eccleſijs, nec non ad collationem, prouiſionem, & præſentationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem S.R.E. Cardinalium à Rom. Cur. abſentium ratione ſuorum Epiſcopatuum, Cardinalatus, ac ipſorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarũ ſpectantia, quamdiu abſentia ſua durauerit, Canonicatus & præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, cæteraq. bene-

ficia

ficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem Vrbe quàm in Eccleſijs, Ciuitatibus, & Diœceſibus dictorum Epiſcopatuum conſiſtentia. Ac decreuit irritum, &c.

Notæ.

Omnia beneficia Vrbis Papa confert tanquam proprius Epiſcopus Vrbis Romæ, & ſic videbatur ſuperflua reſeruatio de qua hic, quia reſeruatio fit per Papam de beneficiis in quibus cogitat ab Ordinariis habentibus alias poteſtatem conferendi poſſe præueniri: ſed in vacantibus in Vrbe, & ſic in ſua propria dioeceſi non poteſt conſiderari preuentio, quia nullus præter Papam conferre poteſt, igitur non erat neceſſaria iſta reſeruatio.

Cui difficultati reſpondet *Gonzal. ſuper Regula 8. gloſſ.* 13. *nu.* 22. dicens, quod dicta reſeruatio fuit neceſſaria ad maiorem cautelam & dubia remouenda, ne Archipresbyteri dictarum trium Eccleſiarum (qui ſunt Cardinales) prætenderent de iſtis beneficiis poſſe diſponere, Vnde abundans cautela non nocet ad *l. quæ dubitationis ff. de reg. iur.*

Cano-

Canonicorum & præbendas. Nota quod hæc Regula non comprehendit Clericatus, & Beneficiatus in ea non expreſſos, ſed tantum Canonicatus & præbendas, ac dignitates, perſonatus & officia hic expreſſa, vt fuit reſolutum in *Romana Clericatus S. Petri* 27. *Nouemb.* 1602. *coram Card. Pamphilio.*

Nec non ad collationem: hæc eſt ſecundæ pars huius Regulæ: ad cuius intelligentiam ſciendum eſt, quod ſunt ſex Epiſcopatus qui antiquioribus ſex Cardinalibus ſunt annexi, nempe Epiſcopatus Oſtien. Portuen. Sabinen. Albanen. Præneſtin. & Tuſculan. qui ſunt prope Vrbem, & ſuffraganei Pontificis in quantum eſt Ordinarius particularis Romæ, & propter dictam annexionem appellantur Epiſcopatus Cardinalatus.

Cum igitur præſentia Cardinalium in Vrbe ſit vtilior, non ſolum Romanæ, ſed etiam Generali Eccleſiæ *cap.* 3. *de poſtul. Prælat.* & maxime iſtorum ſex, qui ſunt Papæ Collaterales & Aſsiſtentes præcipui, & qui olim loco ipſius officium Epiſcopale in Eccleſia S. Ioann. Lateranen. per hebdomadas exercebant. *Card. Baron. Annal. tom.* 11. *fol.* 236. §. *ſunt in Eccleſia Romana.* Idcirco, vt facilius allicerentur ad reſidendum apud Summum Pontificem, facta fuit reſeruatio prædicta in

poenam

poenam abſentiæ a Romana Curia, tam beneficiorum conſiſtentium in Eccleſiis, Ciuitatibus, & Dioeceſibus dictorum Epiſcopatuum, quam Beneficiorum in eadem Vrbe vacantium in Eccleſiis ſiue titulis dictorum Cardinalium.

Regula Nona.

Reſeruatio Menſium Apoſtolicorum, & de Alternatiua pro Epiſcopis reſidentibus.

ITem, cupiens idem D.N.Papa, pauperibus clericis, & alijs bemeritis perſonis prouidere, omnia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, ſecularia & quorumuis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & vbicumque exiſtentia, in ſingulis Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Auguſti, Octobris, et Nouembris menſibus, vſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum, extra Romanam Curiam aliàs quam per reſignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, & quamuis aliam diſpoſitionẽ, quo-

quorumcumque collatorum & collatricum, ſæcularium & quorumuis Ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum ſub Concordatis inter Sedem Apoſtolicam & quoſcumque alios initis, & per eos qui illa acceptare & obſeruare debuerant acceptatis et obſeruatis, quæ lædere non intendit, comprehenſorum) quomodolibet pertinentia, diſpoſitioni ſuæ generaliter reſeruauit. Volens, in ſupplicationibus ſeu conceſſionibus gratiarum, quæ de dictis beneficijs tunc vacantibus, etiã Motu proprio fiẽt, de menſe in quo vacauerint diſpoſitiuè mentionem fieri, alioquin gratias nullas eſſe. Ac conſuetudines etiam immemorabiles, optandi maiores & pinguiores præbendas, necnon priuilegia etiam in limine erectionis conceſſa, & indulta Apoſtolica circa ea, ac etiam diſponendi de huiuſmodi beneficijs, aut quod illa ſub huinſmodi reſeruationibus numquam comprehendantur, etiam cum quibuſuis derogatoria-

rum

rum derogatorijs, & fortioribus,efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus,& alijs decretis, quorum tenores pro expreſſis haberi & latiſſimè extendi voluit,quibuſuis perſonis, & collegijs, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis,& conditionis exiſtentibus quomodolibet conceſſa, aduerſus reſeruationem huiuſmodi minimè ſuffragari. Inſuper Sanctitas ſua,ad gratificandum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis intēta,ipſis, quamdiu apud Eccleſias,aut diœceſes ſuas verè ac perſonaliter reſederint dūtaxat, de omnibus & quibuſcumque beneficijs eccleſiaſticis,cum cura & ſine cura, ſæcularibus et regularibus (ad liberam ipſorum dumtaxat,nō autem aliorum cum eis diſpoſitionem, ſeu præſentationem, vel electionem, nec etiam cum conſilio vel conſenſu, ſeu interuentu Capitulorum vel aliorum, aut aliàs pertinentibus) quæ in antea in menſibus Februarij,Aprilis,Iunij, Auguſti, Octobris, et Decembris extra,

curiam

curiã ipſam vacare cõtigerit,(dummodo alias diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruata vel affecta non fuerint) liberè diſponendi facultatem conceſſit. Ac etiam voluit, vt ſi ipſi in collatione, aut alia diſpoſitione beneficiorum in alijs ſex menſibus, videlicet Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septẽbris, et Nouembris vacatutorum, quæ etiam diſpoſitioni ſuæ vt præfertur reſeruauit, ſeu etiam aliorum diſpoſitioni ſuæ, et dictæ Sedis alias quomodolibet reſeruatorum vel affectorum, ſeſe intromiſerint, aut quominus prouiſiones et gratiæ Sãctitatis ſuæ de illis debitum effectũ conſequantur, impedimentum quoquo modo præſtiterint, vſu, et beneficio prædictæ facultatis eo ipſo priuati exiſtant, ac collationes, et aliæ diſpoſitiones de beneficijs, illius prętextu deinceps faciendæ, nullius ſint roboris vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternatiuæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem huiuſmodi per patentes literas manu propria ſubſcriptas, ſuoq. ſigillo

munitas,

munitas, et in ſua quiſque ciuitate, vel diœceſi datas, declarare, et litteras ipſas huc ad Datarium Sanctitatis ſuæ tranſmittere teneantur. quibus ab eo receptis et recognitis, tunc demum et non antea, vti incipiant gratia ſupradicta. Decernens ſic in prædictis omnibus per quoſcumque &c. iudicari debere, ac irritum, &c. attentari.

Notæ.

Hanc Regulam plena manu gloſſauit *Hieronymus Gonzal.* cuius litteram & cõtextum *poſt 7. §. prooemialem* iuniorum commoditati conſulens, breui compendio declarat.

Inſuper Sanctitas ſua: hæc eſt ſecunda pars huius Regulæ, in qua agitur de gratia alternatiua conceſſa ſolum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis; non autem aliis inferioribus Collatoribus.

Circa quam illud eſt præcipuum dubium, valde controuerſum inter Scriptores omnes inter ſe digladiãtes, Imo inter Sacræ Rotæ Auditores, nondũ bene conſtitutũ, prout ex variis ipſorũ deciſionibus apparet: An ſcilicet mẽſes alternatiuæ de-

beant

beant eſſe integri, vt Epiſcopus ea frui poſsit? exempli gratia, ſi Epiſcopus habens alternatiuam acceptatam ſit abſens a ſua Dioeceſi principio menſis Februarii, Aprilis, aut alterius alternati, & reuertatur in eodem menſe, an gaudeat alternatiua in beneficiis vacantibus in tali menſe poſt reditum ad Epiſcopatum? Item ſi Epiſcopus ſecunda Februarii, vel alterius menſis alternati acceptet Romæ alternatiuam, an ea gaudeat in beneficiis poſt acceptationem vacantibus in tali menſe?

In quo attendendæ ſunt quatuor infraſcriptæ regulæ; Nam his recte obſeruatis, meo quidem iudicio, ceſſant omnes in hac re controuerſiæ.

I. REGVLA.

Alternatiuæ acceptatione recepta in Dataria in aliquo menſe Apoſtolico, non incipit vſus illius niſi toto menſe peracto; aliud ſi in menſe Ordinarii.

II. REGVLA.

Menſes Aprilis & Octobris ſemel facti Apoſtolici propter abſentiam Ordinarii, ſemper remanent Apoſtolici, quamuis ipſe reuertatur de nouo.

III. REGVLA.

Menſes Februarii & Augusti, licet ſemel per abſentiam Ordinarii facti ſint Apoſtolici, deſinunt eſſe Apoſtolici re-

uerente

uerente Ordinario ad ſuum Epiſcopatum.

IV. REGVLA.

Menſes Iunii & Decembris nunquam ſunt Apoſtolici, quamuis Ordinarius nunquam reſideat.

Fundamentum autem prædictarum regularum apertius patebit, ſi primo conſideremus, quod in alternatiuæ acceptatione dicitur ordinarius quaſi contrahere cum Papa, ſub ſpecie cuiuſdam permutationis menſium: ex alleg. per *Gonzal. in gloſſ. 45. nu. 107. & gloſſ. 58. nu. 14.* Vnde ratio poſtulat, quod æqualitas inter Papam & Epiſcopos ſeruetur, ſicut inter omnes contrahentes de iure ſeruari mandatur *l. ſi id quod §. fin. ff de reſcind. vend.*

Quod autem ſeruata ſit æqualitas in ſupradictis Regulis, apparet ex eo quod Papa iuxta primam huius Regulæ partem habet octo menſes, nempe Ianuarium, Februarium, Aprilem, Maium, Iulium, Auguſtum, Octobrem, & Nouembrem: Ordinarius vero quatuor, Martium, Iunium, Septembrem, & Decembrem; Vnde in alternatiua lucratur Ordinarius mēſes Aprilis & Octobris, mutuatq. Martium pro Februario, & Septembrem pro Auguſto; Menſes autem Iunii, & Decembris nec lucratur nec mutuat, ſed illos retinet vt prius, quos ideo mēſes fixos appellamus.

His ita præſuppoſitis, iuſtitia primæ Regulæ in eo conſiſtit, quod acceptatio vel non acceptatio alternatiuæ eſt in ſola facultate Ordinarii, qui ſi acceptauerit in principio alicuius ſui menſis ſibi imputet, cum potuiſſet expectare finē talis menſis; ſi verò acceptauit in aliquo menſe Papæ, non eſt rationi conſonum vt hoc Papæ præiudicet, cum ipſe etiam poſuerit in facultate Ordinarii quando velit acceptare alternatiuam.

Ratio ſecundæ Regulæ eſt, quia Ordinarius lucratur illos duos Menſes Papæ, Aprilem ſcilicet, & Octobrem abſque aliqua menſium ipſius permutatione, & nullo alio niſi reſidentiæ onere adiecto. Vnde cum eos gratis accipiat, æquiſſimum erit, vt quantocumque paruo tempore a ſua Dioeceſi abfuerit illos ammittat, ita vt ſemel facti Apoſtolici ſemper remaneant Apoſtolici vſque ad vltimum diem illius menſis quo abfuerit.

Tertia Regula fundatur in eo, quia Ordinarius non ita ſimpliciter accipit à Papa Menſes Februarii, & Auguſti, ſed in cambium Martii, & Septembris. Vnde cū nullo caſu poſsit Ordinarius ex parte Papæ iterum habere Martium & Septembrem, iuſtiſsimum etiam erit quod Papa non ita abſolute, & rigore ſtricto recuperet Februarium, & Auguſtum, ſed ſit

ſatis

ſatis quod per illud ſolum tempus, quo fuerit abſens Ordinarius, Papa prouideat beneficia vacantia in ſua Dioeceſi, reuertente vero ad eam Ordinario, deſinant eſſe Menſes Apoſtolici.

Regula quarta habet iuſtitiam clariſſimam; cum enim Papa retineat ſibi medietatem ſuorum octo Menſium, Ianuarium, ſcilicet, Maium, Iulium, & Nouembrem, in quibus nullo caſu voluit poſſe competere Ordinario ius aliquod etiam perpetuo reſidenti, æquiſsimum etiã erit quod Ordinarius ſibi etiam retineat medietatem ſuorum quatuor Menſium, Iunium, ſcilicet, & Decembrem in quibus nullum vnquam ius poſſet competere Papæ, etiam Ordinario numquam in ſua Dioeceſi reſidenti.

Decernens irritum: olim finiebãtur Regulæ reſeruatoriæ in octaua Regula præcedenti, vbi idcirco fuit poſitum hoc idem decretum irritans, vt ſic omnes anteriores Regulas compræhenderet tanquam in fine omnium poſitum, argumento *l. talis ſcripturæ* 30. §. *fin. ff. de leg.* 1. *Caſſad.* in terminis *deciſ.* 1. *in fin. de reſtit. ſpol.* ſed cum poſtea fuiſſet addita hæc Regula nona, neceſſarium etiam fuit addere hoc decretum, vt ipſa quoque ſub eo comprehenderetur.

Effectus autem decreti irritantis eſt,

annullare omnia quæ in contrarium fierent ab Ordinariis, titulum & poſſeſsionem inficere, omnesq. alios iuris effectus irritare, taliter quod nec aliquod iuris fomentum habeant prouiſiones ſeu collationes de beneficiis ſic reſeruatis factæ *cap. ſi eo tempore* 45. vbi omnes *de elect. in ſexto*.

Vltimo nota, quod vltra ſupradicta beneficia ſunt multa alia reſeruata in diuerſis Pontificum Conſtitutionibus, quæ quidem hic annecti deberent: reperiuntur tamen in Bullario ſiue noua recollectione Conſtitutionum Apoſtolicarum per Laertium Cherubinum Aduocatum Romanum de anno 1617. Romæ edita. nempe beneficia vacantia ob non publicationem reſignationis, quæ ſunt Papæ reſeruata ex *Conſtit.* 85. *Gregorij XIII. tom.* 2. *fol.* 469. Et vacantia ob non ſeruatam formam Conſtitut. 33. Pii Quinti, *tom.* 2. *fol.* 219. Et vacantia per confidentiam *Pius Quartus Conſtit.* 85. *dicto to.* 2. *fol.* 120. Et vacantia per crimen hæreſis, *Pius Quintus Conſtit.* 29. *eodem to. fol.* 213. Et vacantia ob non delationem habitus Clericalis *Sixtus V. Conſtit.* 92. §. 2. *circa finem verſ. in futurum eodem to.* 2. *fol.* 653.

Item, beneficia offendentium per ſe, vel per alium litigantes in Romana Curia, eorumq; Iudices, Aduocatos, Procuratores,

ratores, Notarios, teſtesq; & alios ſimiles *Alexander VI. Conſtitut.* 11. *tom.* 1. *fol.*400. & beneficia eorum qui pro obtinendis beneficiis ſe ipſos pro aliis examini ſupponunt, vel annuas penſiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis vt ab eis aliquid conſequantur, vel pro ſeipſis vt aliis poſtea cum penſione reſignent *Paulus IV. Conſtit.* 12. *to.* 1. *fol.* 731.

Item, beneficia collata iis, qui propter genus aut hæreſim, vel a fide apoſtaſiam, ſuo proprio ſiue ſtirpis cognatorum vitio contaminati, per canonicas ſanctiones, aut ſtatuta aliqua a ſede Apoſtolica confirmata in aliquibus Eccleſiis admitti prohibentur, quia tales prouiſiones ſunt irritæ & nullæ, & beneficia ſic collata vacant vt prius, & Papæ remanent affecta *Greg. XIII. Conſtit.* 66. *tom.* 2. *fol.* 448.

Item, alia beneficia quæ apud eundem Cherubinum videre poteris vbi ſupra in *Indice* ſiue repertorio *materiarum*, verbo, *Beneficia Eccleſiaſtica*.

Regula Decima.

De literis in forma Rationi congruit expediendis.

ITem, voluit idem D. N. Papa, quod conceſſa per felic. record.

Paulum Quintum Prædeceſſorem ſuum, & de eius mandato expediantur in forma. Rationi congruit, ſub die Coronationis ſuæ, vt moris eſt. Et idem quo ad cōceſſa per piæ me. Leonem XI. & Clementem VIII. etiā Prædeceſſores ſuos, ad ſex menſes dumtaxat ab ipſo die Coronationis incipiendos, obſeruari voluit.

Notæ.

Ex hac Regula incipit Papa agere de aliis variis rebus permixtim, & non ſeruato illo ordine quem huc vſque ſequutus fuit in præcedentibus nouem Regulis reſeruatoriis, quæ omnes (vt diximus) vnum & eundem tractatum continent cum ſua rubrica, Regulæ vero omnes quæ ex nunc ſubſequuntur, (paucis exceptis) ſpectant ad expeditionem literarum per Cancellariam faciendam.

In forma rationi congruit: vocatur ſic, quia principium Bullæ hac forma exorditur, videlicet *Gregorius XV. &c. Rationi congruit, & conuenit honeſtati vt ea quæ de Romani Pōtificis gratia proceſſerūt, licet eius ſuperueniente obitu literæ Apoſtolicæ.*

licæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum &c. Cuius integrã reperies apud *Mandoſ. in proemio huius regulæ.*

Vt moris eſt: dicitur eſſe de more, quia de iure communi etiam ante Coronationem ſub prima ipſa die electionis poterant literæ expediri, ſi hoc etiam Papa hic voluiſſet: nam ab illo inſtanti & momento quo Papa electus eſt à duabus partibus Cardinalium, iuxta *cap. licet de euitanda. 6. de elect.* illico habet plenam & liberam adminiſtrationem *Doct. in d. cap. licet*, & *ibi gloſſ. fin.* ita vt qui auſus eſſet impugnare literas Papæ, ex eo quod tempore conceſſionis earum non eſſet adhuc Coronatus, tamquam temerarius excõmunicationis ſententia innodatus exiſteret. *Extrauag. final. de ſentent. excomm.* inter communes.

Ab ipſo die: ſcilicet decimo quarto menſis Februarii huius præſentis, & feliciſſimi anni 1621. quo Sanctiſſ. D.N. Gregorius Papa XV. fuit in Eccleſia S. Petri in Vaticano ſolemni, & conſueta pompa intronizatus, & Coronatus.

Obſeruari voluit: nullum tamen additur ius de nouo, nec Papa prouiſionem ſeu gratiam forſan inualidam confirmare intendit, ſed ſolum atteſtatur gratiam a Prædeceſſoribus factam fuiſſe, ideoq;

illã executioni poſſe mandari *ad cap. literis 39. de reſcrip.*

Regula Vndecima.

Declaratio reſeruationis Eccleſiarum, & beneficiorum per Prædeceſſores reſeruatorum.

ITem, declarauit, omnium & ſingularum Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorũ prouiſiones, quas prædicti Prædeceſſores ſui, ordinationi, & diſpoſitioni eorum, ac omnia & ſingula beneficia, quæ dicti Prædeceſſores etiam prædictæ diſpoſitioni cum interpoſitione decreti reſeruauerant, quæ quidem Eccleſiæ, & Monaſteria, necnon ſic reſeruata beneficia, tempore obitus eorumdem Prædeceſſorum vacabant, aut Eccleſiæ ipſæ, vel Monaſteria huiuſmodi ſic Commendata, vel eis adminiſtratores deputati non fuiſſent, etiam tunc vacaſſent, remanſiſſe, & remanere per huiuſmodi reſeruationem & decretum affecta, nullumq. de illis, præter Romanum Põtificem,

tificem, ea vice ſe intromittere, vel diſponere potuiſſe, ſiue poſſe quoquo modo. Decernens irritum & inane, ſi ſecus ſuper illis attentatum forſan erat tunc, vel in poſterum contingeret attentari.

Notæ.

Hæc regula eſt ampliatio quædam *extrauagantis Ad Romana* 14. *de præben. & Dignitatibus* inter communes.

Regula Duodecima.

Reualidatio literarum Prædeceſſoris, gratiæ & iuſtitiæ, infra annum conceſſarum.

ITem, prædictus D. N. omnes & ſingulas, ab ipſis Paulo V. Romano Pont. Prædeceſſore ſuo, infra annum ante diem obitus illius conceſſas gratiæ vel Iuſtitiæ literas, temporibus debitis eorũ exequutoribus & Iudicibus non præſentatas, omnino reualidauit, & in ſtatum priſtinũ in quo antea fuerant, & pro quibus

erant obtentæ, quo ad hoc plenariè reſtituit, ac decreuit, per exequutores & Iudices prædictos, vel ab eis ſubdelegandos, ad expeditionem negociorum in eis contentorum, procedi poſſe & debere, iuxta illarum formam.

Notæ.

Per regulam decimam ſupra conceſſum fuit, poſſe expediri literas ſuper ſupplicationibus quæ ſolum fuerunt ſignatæ tempore ſuorum Prædeceſſorũ Pauli V. Clementis VIII. & Leonis XI. nunc autẽ agitur de illis gratiis ſuper quibus fuerunt litteræ expeditæ, non tamen tempore debito exequutoribus ſeu Iudicibus præſentatæ, quod quidem neceſſarium fuit declarare, quia re adhuc integra tam reſcripta reſpicientia iuſtitiam, quam reſpicientia gratiam morte concedentis finiuntur *cap. fin. §. officium. de offic. Iud. deleg. in 6. cap. ſi cui nulla 36. ſecundo reſp. de præben. eodem lib.*

Omnino reualidauit: effectus huius reualidationis eſt, quod prior gratia iam extincta reſuſcitetur, & idem operetur quod operari poterat antequam extingueretur, nil tamen amplius, quia multum.

tum differt reualidatio a noua conceſſione *Mandoſ.hic.q. 1. num. 5.*

Regula Decimatertia.

Reuocatio vnionum.

ITem, rationalibus ſuadentibus cauſis, ipſe D.N. omnes vniones, annexiones, incorporationes, ſuppreſſiones, extinctiones, applicationes, & diſmembrationes etiam perpetuas, de quibuſuis Cathedralibus, et alijs Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, perſonatibus, officijs, et beneficijs eccleſiaſticis, eorumvè domibus, prædijs, et locis, per ceſſum, vel deceſſum, aut quamuis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, qualiacũque fuerint, inuicem, vel alijs Eccleſijs, Monaſterijs, et menſis etiam Capitularibus, dignitatibus, perſonatibus, officijs, beneficijs, ac pijs, et alijs locis, vniuerſitatibus etiam Studiorum generalium, et Collegijs etiam in fauorem S.R.E. Cardinalium, ſeu Eccleſijs, Monaſterijs, et beneficijs per eos obtentis, quomodolibet,

Apoſtolica, vel alia quauis (non tamen Concilij Tridentini auctoritate, & profundatione, ſeu dotatione, augmento, vel conſeruatione collegiorum, & aliorum piorum, & religioſorum locorum ad fidei Catholicæ defenſionem, et propagationem, bonarumq. artium cultum, inſtitutorum factas) quæ ſuum non ſunt ſortitæ effectum; Ac quaſcumque conceſſiones, et mandata ſuper vnionibus, annexionibus, incorporationibus, et alijs præmiſſis taliter faciendis, reuocauit, caſſauit, et irritauit, nulliusq. decreuit exiſtere firmitatis. Nec alicui quaſcũq; clauſulas, vel adiectiones, aut decreta, quæ Sanctitas ſua pro expreſſis haberi voluit, in quibuſuis Apoſtolicis, etiam quæ Motu proprio, aut ex certa ſciẽtia, et conſiſtorialiter proceſſerũt, et emanauerunt literis, etiam ſi in eis decretum eſſet illas ex tunc effectũ ſortitas eſſe, aut ius quæſitum fore, quomodolibet contẽta aduerſus reuocationem, & irritationem huiuſmodi, voluit aliquatenus ſuffragari.

Notæ.

Notæ.

Cum quælibet Eccleſia ſuum propriũ debeat habere Rectorem *cap. quia nonnulli de Cleric. non reſiden.* vt ſic vnicuique gregi proprii attributi Paſtores ſuarum quiſque ouium curam facilius poſſet habere, hinc fit quod Vniones beneficiorum in iure ſint odioſiſſimæ; nam per eas diuinus cultus minuitur, & ordo confunditur Eccleſiaſticus *Concil. Triden. ſeſſ.* 14, *cap. 9. de reform.*

Quare his & aliis ſuadentibus cauſis, Papa in hac regula reuocat omnes vniones quæ nondum ſortitæ fuerint effectũ, quaſi per hoc videantur non ita vrgentem cauſam a principio habuiſſe, prout alias ex eiſdem rationibus & cauſis fuerunt ſimiles vniones reuocatæ per *Concil. Tridentinum cap. 6. ſeſſ. 7. & cap. 9. §. final. ſeſſ. 25. de reformat.*

Non tamen Concilij Tridentini: excipiuntur ab hac reuocatione vniones quæ licet nondum ſint ſortitæ effectum, ſunt tamen factæ in vim Concilii Tridentini, veluti vniones Eccleſiarum Parochialiũ & Baptiſmalium, & aliorum Beneficiorum curatorum vel non Curatorum cum Curatis, quas Epiſcopi propter paupertatem d. d. Eccleſiarum facere poſſunt

iuxta

iuxta *cap. 5. ſeſſ. 21. de reformatione.*

Item, vniones beneficiorum ſimpliciũ, præſtimoniorum, ſeu præſtimonialiũ portionũ Seminariis factæ iuxta *c. 18. ſeſſ. 23.*

Item, vnio præbendæ facta pro Poenitẽtiario in Cathedralibus Eccleſiis iuxta *cap. 8. ſeſſ. 24.*

Item, vniones beneficiorum ſimpliciũ factæ per Epiſcopos Canonicatibus, & præbendis Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum inſignium, vbi adeo tenues ſunt præbendæ, vt decenti Canonicorom gradui ſuſtinendo non ſufficiant: ſimiliter ſuppreſſiones & extinctiones præbendarum in eiſdem Eccleſiis, & ob eandem rationem factæ iuxta *cap. 15. ſeſſ. 24. de reformat.*

Sortita effectum: vniones tunc dicuntur ſortiri effectum, cum poſt factam à Papa gratiam vniendi, exequutores in ea dati fecerint ſuos proceſſus, & poſſeſſio capta fuerit vt reſoluit hic *Mandoſ. q. 5. num. 3. verſ. dicerem igitur.*

Regula Decimaquarta.

Reuocatio facultatum quibuſuis conceſſarum.

ITem, reuocauit quaſcumque facultates conceſſas quibuſuis Patriar-

triarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et alijs Prælatis et perſonis, nec non Apoſtolicæ Sedis Nuncijs, ac fructuum et prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, de diſpenſando cum quibuſuis perſonis ſuper matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, et ætatis defectibus, et de incompatibilibus beneficijs eccleſiaſticis inſimul retinendis, nec non de Notarijs publicis creandis, ac de diſponendo quomodolibet de quibuſuis beneficijs eccleſiaſticis, et aliàs à præmiſſis, officia ipſorum Nunciorum et Collectorum directè non concernentes, etiam ſi in literis deſuper confectis ſint clauſulæ reſtitutoriæ et derogatoriæ, et aliæ efficaciores, quas pro expreſſis haberi voluit quoad omnia in quibus facultates ipſæ non ſunt ſortitæ effectum, etiam ſi Nuncijs eiſdem, dictæ Sedis Legatis de latere compotens ſit conceſſa poteſtas. Decernens irritum, &c. attentari.

Notæ.

Hæc regula tollit dubium ſcriptum, per *Doctores in c. finali, de conceſſ. præben. in ſexto*. An ſcilicet per mortem Papæ expirent facultates per eum conceſſæ? notat *Rebuff. hic in addit. ad hanc regulam.* Vnde intellige Papam ſolum hic reuocare facultates conceſſas a Prædeceſſoribus ſuis, non tamen eas quas ipſemet cõceſſerit poſt electionẽ ad Põtificatum in illis quatuor diebus ante Coronationem, quod dictum ſit dubitationis tollendæ cauſa ad *l. quæ dubitationis ff. de reg. iur.*

Regula Decimaquinta.

Reuocatio facultatum conferendi beneficia reſeruata.

ITem, reuocauit quaſcumque facultates et literas deſuper confectas, per quas quicumque ſui Prædeceſſores Romani Pontifices quibuſuis perſonis ordinariam collationem, ſeu aliam diſpoſitionem beneficiorum eccleſiaſticorũ, de iure vel conſuetudine habentibus, et quauis etiam Patriarchali, Archiepiſcopa-

li,

li, Epiſcopali, aut alia dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fungentibus, quauis conſideratione, vel intuitu, etiam Motu proprio, et ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſerant, aut quamdiu viuerent, vel ſuis Eccleſijs ſeu Monaſterijs præeſſent, aut ad aliud tempus, de beneficijs eccleſiaſticis generaliter reſeruatis ſeu affectis, ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, et quamuis aliam diſpoſitionem, communiter vel diuiſim, ſpectantibus, diſponere libere, et licitè valerent, aut etiam ad id per eoſdem Prędeceſſores Vicararij perpetui vel ad tempus conſtituti forent.

Notæ.

Reuocatio de qua in hac regula, tam late patet, vt omnes comprehendantur facultates & indulta conferendi beneficia reſeruata, quibuſcumque perſonis (Cardinalibus exceptis) conceſſa.

Ad eorum: ſupplenda eſt hic dictio; *alias,*

alias, vt ſenſus ſit, quod Papa reuocat Epiſcopis facultates conferendi etiam illa beneficia, quæ alias ſi reſeruata non fuiſſent ad eorum prouiſionem ſpectarent. notat *Mandoſ. hic q. 1. num. 3.*

Vicarij perpetui: hoc eſt, etiamſi facultatibus prædictis inſerta ſit illa clauſula, *vt tanquam Vicarij Pontificis libere & perpetuo de beneficijs reſeruatis poſſint diſponere &c.* quod fuit neceſſarium exprimere, nam alias nō comprehenderetur ſub hac reuocatione qui ſimilem facultatem haberet. ad *gloſſ. in cap. penul. verb. Vicarij de offic. Vicarij.*

Regula Decimaſexta.

De dictionibus numerabilibus.

ITem, vt in Apoſtolicis literis committendi crimen falſi per amplius tollatur occaſio, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd dictiones numerales quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, & Kal. immediatè poni conſueuerunt, per litteras & ſyllabas extenſæ deſcribantur, & illæ ex prædictis literis, in quibus huiuſmodi dictiones aliter ſcriptę fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

Notæ.

Notæ.

Tollatur occaſio: hac eadem ratione, idem alias reperitur iuſſum ab Imperatore Iuſtiniano in *l. 1. in fin. de confirm. digeſtorum*.

Nonas, idus, & Kalendas: De ratione & computo Kalendarum vide *gloſſ. in c. fi. de reg. iur. in ſexto verb. Quinto 9. Martij*.

Ad Bullariam: aliqui libri habent ad Bullarium, ſed idem eſt: nam primo modo ſignificatur locus, ſecundo modo Præpoſitus his bullis, ſiue intelligamus de regiſtro bullarum, quaſi dicat, non mittantur ad locum Bullarum ſiue ad Regiſtrum, vel ad Magiſtrum Bullarum, notat hic *Mandoſ. poſt princ. prooemij*.

Regula Decimaſeptima.

De concurrentibus in Data.

ITem voluit, quod de concurrentibus in Data eiuſdem diei, ſuper vacantibus ſeu certo modo vacaturis beneficijs, illi quibus gratiæ Motuproprio concenduntur, cæteris ſimili modo gratias non habentibus, aliàs graduati non graduatis, aut inter

ter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos priùs graduati, nec non colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus, ac inter perſonas alias in Curia præſentes abſentibus ab ea, ac inter præſentes non beneficiati beneficiatis, & ſimiliter inter abſentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, & diœceſanus non diœceſano. In reliquis verò ſinguli, qui prius Apoſtolicas deſuper literas eorũ exequutoribus præſentauerint, alijs in ipſorum de quibus agi contigerit, beneficiorum aſſecutione, præferantur.

Notæ.

Multitudo ſupplicantium efficit plerumque vt pluribus vnum & idem beneficium conferatur, quare vt prælationes in aſſequendis beneficiis Eccleſiaſticis iuxta perſonarum merita moderentur, ad *l. vt gradatim* 11. *ff. de muner. et honor.* hæc regula per ordinem diſponit qui aliis præferendi ſint, dato caſu concurrentiæ.

Motu proprio: quia hæc clauſula impinguat gratiam, & ſic latiſſime extendenda eſt, ita vt omnibus aliis gratiis præfera-
tur

tur *cap. ſi pluribus 24. de præben. in ſexto.* Tunc autem cenſetur gratia fieri motu proprio, cum hoc expreſſe cautum fuerit in eadem *cap. ſi motuproprio 23. de præb. in ſexto.*

Graduati non graduatis: nam literatæ perſonæ de iure debent magis honorari *cap. de multa 28. in fin. de præben.*

Inter graduatos magis graduati: veluti Doctor præfertur Licentiato, & graduatus in vtroque iure præfertur Legiſtæ tantum, vel Canoniſtæ tantum.

Prius graduati: nam ſeniores, & antiquiores maioris ſunt authoritatis in iure *l. ſemper 5. ff. de iur. immun.*

Necnon colorato titulo: Color & titulus in iure quaſi pro eodem accipiũtur. *l. Sulpicius 49. ff. de donat. inter vir. & vxor.* ibi *ſi color vel titulus &c.* Ad effectum vero huius regulæ, coloratus titulus dicitur ille, qui prima facie aut primo aſpectu validus apparet, non admiſſa quæſtione de validitate vel inualiditate ipſius. *Caſſad. ſuper reg. Cancellariæ deciſ. 7. incipit proponebatur num. 7.*

In Curia præſentes: quia ad Sedem Apoſtolicam tanquam ad matrem communem quamplurimi ex diuerſis mundi partibus quotidie confluunt *cap. 2. de priuil. in ſexto.* ex quo creſcit Vrbis augmentum, & ideo præſens in Curia debet eſſe

magis

magis priuilegiatus quam abſens. argum. *l.2.circa princip. C.vt dignitatum ordo ſeruetur lib.12.*

Non beneficiati beneficiatis: quia Sedes Apoſtolica neceſſitatibus pauperum Clericorum(qui nullum ſunt beneficium Eccleſiaſticum aſſequuti,) ſemper duxit eſſe ſuccurrendum *cap.poſtulaſti 27. de reſcriptis.*

Oriundus non oriundo: oriundus,ideſt, originarius, qui ſcilicet originem duxit ex eo loco vnde eius maiores fuerunt *l. filios.3.C.de municip.& orig.lib.10.* accipitur etiam oriundus pro orto ſeu nato in aliquo loco proprio *l. adſumptio. 6.* & *ibi gloſſ.verbo oriundus ff.ad municip.*

In vtroque autem ſenſu accipienda eſt regula hæc, quia eius ratio militat tam in oriundo quam in orto, & verba vtrique conueniunt ad *l. hos accuſare §. omnibus ff. de accuſat.* & ratio huius prælationis fuit, propter faciliorem reſidentiam. quæ magis præſumitur in oriundo ſeu nato in loco beneficii, quam in extero & peregrino, *ad cap. nullus inuitis.13. diſt.61.*& *cap. ad decorem 5.de inſtit.* vbi omnes Doct.

Dioeceſanus non Dioeceſano: Dioceſis græce, idem quod latine diſtrictus gubernationis,ſeu locus aliquis iuriſdictionis *l.vnic.C.de priuat.carcerib.* ibi *Aegyptiacam*

tiacam Dioeceſim. Vnde qui ſubiecti ſunt iuriſdictioni alicuius, Dioeceſani appellantur.

Dicitur etiam Dioeceſanus, qui domicilium habet in aliqua Ciuitate *gloſſ. in cap. ſtatutum* 11. *§. cum vero* verb. *eiuſdem Ciuitatis de reſcrip. in ſexto*. & in hoc vltimo ſignificatu accipitur in hac regula, ex ratione prædictæ gloſſæ *verb. vnam dietam in fin.* ibi *vbi aliud non additur, intelligi debet Dioeceſanus domicilij*.

Præſentauerint: nam inter eos quibus ex ſimili iure pertinet aliquod beneficiũ, ſemper occupantis potior eſt cauſa *cap. duobus* 14. *de reſcrip. in ſexto*. & argum. *l. inter eos* 19. *in fin. ff. de re iudic.*

Regula Decimaoctaua.

De non tollendo ius quæſitum.

ITem, ne per varias quæ pro commiſſionibus, ſeu mandatis, & declarationibus habendis in cauſis, plerumque fiunt ſuggeſtiones, iuſtitia poſtponatur, idem D.N. decreuit, & declarauit, ſuæ intentionis fore, qnòd deinceps per quamcumque ſignaturam, ſeu conceſſionem, aut gratiam, vel litteras Apoſtolicas,

cas, pro commiſſionibus, ſeu mandatis, aut declarationibus huiuſmodi, etiam ſi Motuproprio ex certa ſcientia, ac etiam ante motam litem, à Sanctitate ſua emanauerint, vel de eius mandato faciendas, nulli ius ſibi quæſitum quomodolibet tollatur.

Notæ.

Item, ne per varias: ex hoc proemio deducitur ratio finalis huius regulæ ad *l.fin.ff.de hæred.inſtituen.*

Suæ intentionis fore: hoc idem de iure communi deciſum eſt, tam ciuili quam Canonico *cap.ſuper eo 15. circa finem de offic.& poteſt.Iud.deleg. cap.quamuis 8. in fin. de reſcrip.lib.6.l.2.§. merito ff. ne quid in loco publico.*

Quid igitur de nouo hæc regula introducit? reſponde cum Iuriſconſulto Vulpiano, qui alias in caſu ſimili hoc idẽ interrogauit in *l. 3. §. 1. verſ. miratur ff. nautæ, caupones,* cuius verba ſunt, *miratur igitur cur honoraria acti ſit inducta, cum ſint Ciuiles, niſi forſan* (inquit) *ideo vt innoteſceret Prætorẽ curam agere reprimẽdæ improbitatis,&c.* Hoc idem de cura paternali Pontificis ius ſuum vnicuique tribuendi

buendi, & conſeruandi reſpondere poſſumus in hac regula, ex qua & ex *cap. ſi poſtquam* 13. *de praben. in ſexto.* deſumpta fuit Clauſula apponi ſolita in omnibus gratiis a Papa emanantis, videlicet *dummodo tempore Data praſentium non ſit alicui ſpecialiter ius quaſitum*, per quam præſeruat Papa ius tertio in re, vel ad rem quantumcumque ſit ſiue magnum ſiue minimum, & cuiuſcumque generis, directum vel indirectum, & etiam improprie ſumptum. *Modernus de clauſul. clauſ.* 35. *num.* 14. *&* 18. *par. prima.* Quare nota, quod licet pro derogatione aliarum regularum ſufficiat derogatio in genere cum clauſula *quorum tenores*, hæc tamen Regula requirit ſpecificam & indiuiduã derogationem. *Rota in vna Oſcen. indulti.* 28. *Iunij.* 1569. *corã Orano et* 10. *Decembris.* 1599. *coram Illuſtriſſ. Card. Millino.*

Regula Decimanona.

Regula de viginti.

ITem, voluit, quòd ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium, ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis vel aliàs dimiſerit, aut illius commendæ ceſſerit; ſeu ipſius beneficij

D vnio-

vnionis diſſolutioni conſenſerit, etiã vigore ſupplicationis dum eſſet ſanus ſignatæ, & poſtea infra viginti dies à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipsũ beneficium quauis auctoritate conferatur, per reſignationem ſic factam, collatio huiuſmodi ſit nulla, ipſumq. beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.

Notæ.

Mens huius regulæ fuit, ne infirmi grauiter ægrotantes, & præſentientes adeſſe finem vitæ ſuæ, de beneficiis veluti de rebus profanis in conſanguineos ſuos ſucceſſionis iure diſponerent, cõtra *cap. primum de præben. cap. pleriq. & cap. Apoſtolica* 8. *q.* 1. cum ſanctuarium Dei non debeat inre hæreditario poſſideri *cap. ad decorem* 5. *de inſtit.*

Viginti dies: hoc tempus non fuit ſine cauſa poſitum nec ad libitum, ſicut de cæteris dilationibus à iure factis dixit *gloſſ. in cap. pia §. ſi quis igitur verb. octo dierũ de excep. lib.* 6. Dicunt enim medici, quod tres habentur conditiones infirmitatis

tatis acutæ, quæ infra dies 20. terminantur; abinde autem nulla eſt certa cognitio, ex eo quia ab inde declaratur infirmitatem non eſſe de acutis, quare præſumitur quod infirmi grauiter ægrotantes certificati per medicos in primo, ſecundo, vel tertio termino illarum trium cognitionũ, de beneficiis diſponunt, quaſi teſtamentum condentes, ſeu donationem cauſa mortis facientes, quod alias forſan non facerent, refert *Gomeſius hic q.25.*

Regula Vigeſima.

De Idiomate.

ITem, voluit, quod ſi contingat ipſum alicui perſonæ de parochiali Eccleſia, vel quouis alio beneficio exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente prouidere, niſi ipſa perſona intelligat, & intelligibiliter loqui ſciat idioma loci vbi Eccleſia, vel beneficium huiuſmodi cõſiſtit, prouiſio, ſeu mandatum, gratia deſuper, quo ad parochialem Eccleſiam, vel beneficium huiuſmodi, nullius ſint roboris vel momenti.

Notæ.

*Idioma:*verbum eſt græcum, & ſignificat latine idem quod proprietatem linguæ alicuius loci, vel nationis, puta linguam Hiſpanicam, Gallicam, Belgicam, vel ſimilem.

*Loqui ſciat:*voces enim hominibus datæ ſunt ad animi conceptiones inter ſe declarandas *l. Labeo 7. §. id Tubero ff. de ſupellectil. leg.* vnde cum Parocho ſeu Rectori incumbat onus per ſeipſum audiẽdi confeſſiones, ſacramenta adminiſtrandi, & parochianos in Chriſtiana fide inſtruendi *cap. ſit Rector primo diſt.* 43. conueniens imo neceſſarium fuit, prohibere ne alicui perſonæ de Parochiali Eccleſia vel alio quouis beneficio exercitium curæ animarum quomodolibet habente prouideretur, niſi ipſa perſona intelligat, & intelligibiliter loqui ſciat Idioma loci, vbi Eccleſia vel beneficium huiuſmodi conſiſtit.

Regula Vigeſimaprima.

De non impetrando beneficium per obitum viuentis.

Item, ſi quis ſupplicauerit ſibi de beneficio quocumque tamquam

per

per obitum alicuius, licet tunc viuentis, vacante prouideri; & poſtea per obitum eius vacet, prouiſio, & quæuis diſpoſitio, dicto ſupplicanti per obitum huiuſmodi denuo faciendæ, nullius ſint roboris, vel momenti.

Notæ.

Pacta de futura ſucceſſione, leges ciuiles abhorrent, tanquam facta contra bonos mores *l. ſtipulatio hoc modo concepta 61. ff. de verb. oblig.* & ratio fuit, ne votum daretur captandæ mortis *l. final. C. de pact.*

Quarum legum exemplo, ius etiam Canonicum prohibuit, ne vlla eccleſiaſtica miniſteria ſeu etiam beneficia vel eccleſiæ tribuerentur alicui antequam vacarent *cap. 2. de conceſſ. prabend.* cuius verba ſunt, *turpe eſt & diuini plenũ animaduerſione iudicij, vt locum in eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam gentiles condemnare curarunt, &c.*

Non tamen hæc regula hoc principaliter agit, ſed addit extenſionem ad conſtitutum in dicto cap. 2. ſic puniendo nimiam importunitatem ſupplicantium, per quam non concedenda multoties conce-

duntur *cap. deteſtanda 2. de conceſſ. præben. lib. 6.*

Vnde, verbum illud, *ſupplicauerit*, debet hic accipi cum effectu, hoc eſt, ſi per ſupplicationem aliquis re vera impetrauerit. argum. *l. 1. §. 1. ff. quod quiſque iuris.* non vero quando ſolum ſupplicauit & non impetrauit, quia in leuioribus affectus ſeu cogitationis poenam nemo patitur. *l. cogitationis 18. ff. de poenis.*

Regula XXII.

De vnionibus, & vnionum confirmatione.

ITem, voluit, quòd petentes beneficia eccleſiaſtica alijs vniri, teneātur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem æſtimationem, tam beneficij vniendi, quàm illius cui vniri petitur, alioquin vnio non valeat, & ſemper in vnionibus commiſſio fiat ad partes, vocatis quorum intereſt: & idem voluit obſeruari in quibuſuis ſuppreſſionibus, perpetuis conceſſionibus, diſmembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuſcumque fructi-

fructibus, & bonis eccleſiaſticis, ac etiam in confirmationibus vnionum, ſingularumq. diſpoſitionum huiuſmodi.

Notæ.

Plures ſolent eſſe cauſæ vniendi beneficia Eccleſiaſtica vt per *Caccialup. in tract. vnionum ar. 5. in princ.* in effectu autē omnes ad duas reducũtur, videlicet ad euidentem neceſſitatē, & ad maiorem vtilitatem *cap. expoſuiſti 33. de preb. & dign.*

Principalior vero vtilitas vel neceſſitas conſideratur reſpectu fructuum: Ideo ne inconſiderate vniones beneficiorum fiant, prouidetur in hac regula vt verus valor exprimatur, & ſic appareat an expediat vnionem fieri vel non, quod vt maiori fiat cum iuſtificatione iubetur etiam vt commiſſio fiat ad partes, hoc eſt, ad locum vbi ſita ſunt beneficia quæ vniri petuntur, nam ibi vocatis quorũ intereſt, poſſeſſore ſcilicet beneficii, & patrono ſi de iurepatronatus exiſtit, & aliis quibuſcumque qui intereſſe prætendere poterunt, res maturius agitabitur per Iudicē Commiſſarium ſiue Exequutorem gratiæ, qui vt plurimum ſolet nominari Epiſcopus ſub quo ſunt talia beneficia, vel alius

quando Epiſcopus ipſe habet aliquod intereſſe.

Regula XXIII.

De Mendicantibus transferendis.

ITem, de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines tranſierint pro tempore, voluit conſtitutionem fel. rec. Martini PP. V. Prædeceſſoris ſui deſuper factam, & in libro Cancellariæ Apoſtolicæ deſcriptã, quæ incipit, *Viam ambitioſæ cupiditatis*, &c. firmiter obſeruari.

Notæ.

Viam ambitioſæ cupiditatis: hæc conſtitutio habetur inter extrauagantes communes, ſub titulo *de Regularib. & tranſeuntibus ad Religionem cap.* 1. cuius tenorem reperies in calce huius opuſculi.

Regula XXIV.

De male promotis.

ITem, de Clericis extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legiti-

legitimam, aut abſque dimiſſorijs litteris ad ſacros Ordines ſe promoueri facientibus pro tempore, etiam voluit Cōſtitutionem piæ me. Pij II. ſimiliter Prædeceſſoris ſui deſuper editam, & in dicto Cancellariæ Apoſtolicæ libro deſcriptam, quæ incipit, *Cum ex ſacrorum ordinum*, &c. pari modo obſeruari.

Notæ.

Cùm ex ſacrorum ordinum: hæc Conſtitutio habetur in *Bullario nouo tom.* 1. *fol.* 319. quæ ibi in ordine eſt ſeptima, cuius tenorem vide in calce huius opuſculi.

Regula XXV.

De moneta.

ITem, declarauit idem D.N. quòd libra Turonenſium paruorum, & florenus auri de Camera, pro æquali valore in concernentibus literas, & Cameram Apoſtolicam, computari & æſtimari debeant.

Notæ.

Fuit olim per longum tempus Sedes Apoſtolica in Auenione Ciuitate ſita in Regno Franciæ, Vbi expeditiones litterarum tunc ſoluebantur in Cancellaria per libras Thuronenſes, quæ nomen accipiunt a Thuronenſi Ciuitate eiuſdem Regni Franciæ. Tranſlata deinde Sede Apoſtolica ad Vrbem, coeperunt expeditiones fieri in moneta Romana, ſcilicet in Florenis auri, qui vulgo dicuntur ducati di Camera, habita tamen ratione ad libras Thuronenſes, ita vt quotquot libræ in Auenione ſoluebantur, totidem Romæ in florenis ſoluerentur: & hoc eſt quod hæc regula ſibi vult. *notat Gomeſius ſuper reg. 54. de exprimendo valore in impetrationibus q.9.§. libra Thuroneſium.*

Thuronenſium paruorum: duodecim Thuronenſes parui faciunt libram vnam, vt in ſimili eſt tex. in *Extrauag. vas electionis §.final.de cenſibus & exactionibus.*

Regula XXVI.

De beneficijs vacaturis per promotionem ad Eccleſias, & Monaſteria.

ITem, prædictus D. N. Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quòd quæ-

quæcumque conceſſiones, gratiæ, & mandata, etiam Motuprorio, & cum derogatione huius conſtitutionis, quæ ab eo pro quibuſuis perſonis emanauerint, de prouidendo eis de quibuſuis beneficijs vacaturis per promotionem quorumcumque ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum regimina, ſi huiuſmodi cónceſſiones, & mandata diem promotionis, promouendorum ipſorum præceſſerint, nec nō quæcumque collationes prouiſiones, & diſpoſitiones pro tempore faciendæ de præmiſſis, ac quibuſuis alijs beneficijs eccleſiaſticis, ſecularibus & regularibus, quæ per promouendos vel aſſumendos ad quaſcumque Prælaturas, inter illarum vacationis, & huiuſmodi promotionis, vel aſſumptionis tempora, ſimpliciter vel ex cauſa permutationis vbicumque reſignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum inde ſecutis pro tempore, ſint caſſæ, & irritæ, nulliusq. roboris, vel momenti.

Notæ.

Importunitatem ſupplicantium ſemper Principes odio habuerunt *l.*1*.in fin. C.de fund.limitrophis lib.*11.& *l.penult.in fi.C. de fundis patrimonialibus eod.lib.*illã ſimiliter Papa abhorrens ſtatuit, & decreuit in hac regula, quod quæcumque conceſſiones gratiæ, & mandata fierent præpoſtere, hoc eſt, antequam beneficia vacent per promotionem alicuius, ſint caſſæ & irritæ, & impetrator illorum inhabilis ad beneficia ſic impetrata exiſtat, etiamſi conceſſiones fierent cum derogatione præſentis regulæ.

Ac quibuſuis alijs beneficijs. Hæc eſt ſecunda pars huius regulæ, quæ concordat cum regula ſecunda, de qua ſupra quæ quidem hic poſſet commodius annecti, ne antiquus regularum ordo confunderetur, vt alias notat. *Mandoſ.ſuper reg.*16. *circa finem prooemij verſ.etſi decretum*.

Sint caſſæ & irritæ: & ſic annullantur ipſo iure. *authen.caſſa, & irrita* iuncta *gloſſ.*1*.C.de ſacroſan.Eccleſ.*

Regu-

Regula XXVII.

De non iudicando iuxta formam ſupplicationum, ſed litterarum expeditarum.

ITem, cum ante confectionem literarum gratia Apoſtolica ſit informis, voluit, ſtatuit, & ordinauit idem D. N. quòd Iudices in Romana Curia, & extra eam pro tempore exiſtentes, etiam ſi ſint S. R. E. Cardinales, Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, vel quicumque alij, non iuxta ſupplicationum ſignaturam ſuper quibuſuis impetrationibus, (niſi in dicta Curia dumtaxat ſint commiſſiones iuſtitiam concernentes, per placet, vel per S.R.E. Vicecancellarium, iuxta facultatem ſuper hoc ſibi conceſſam ſignatæ) ſed iuxta literarum ſuper eiſdem impetrationibus, & conceſſionibus confectarum tenores & formas, iudicare debeant. Decernens irritum, &c. Et ſi literæ ipſæ per præoccupationem, vel aliàs minus

bene

bene expeditæ reperiuntur, ad illorum quorum intereſt inſtantiam, ad Apoſtolicam Cancellariam remitti poterunt, per eius Officiales, quibus huiuſmodi tenores, & formas reſtringere conuenit, ad formas debitas reducendæ.

Notæ.

Aliud eſt in iure perficere contractũ, aliud adimplere. Emptio perficitur ſolo conſenſu, impletur autem numeratione pretii, & rei traditione. *l.ſi is qui alienam 46.ff.de act.empt.*hoc ſimiliter modo gratia Principis ſolo eius verbo perficitur.*gloſ.ſingularis in Clem.dudum circa finem* ibi *Verbo ſeu ſcripto. de ſepulturis.* Impletur autem litterarum expeditione, & ideo appellatur gratia informis, quando litteræ non ſunt expeditæ, quaſi non impleta, ſed quæ ſolo verbo ſeu per ſolam ſupplicationē ſignatam facta apparet.

Non iuxta ſupplicationum: ratio hæc eſt, quia cum litteræ expediuntur, Officiales Cancellariæ ſupplicationis clauſulas extendunt, vel reſtringunt ſecundum ſtylum & formam in dicta Cancellaria, conſuetam, vt colligitur ex regula 52. infra.Vnde regula hæc accipienda eſt reſpectu

ſpectu executionis gratiæ, & quoad eius canonizationem, (vt aiunt) non autem ſi ſupplicatio oſtendatur ad docendum de iure tertii *Rota* in terminis, vbi alias plures allegat *in cauſa Burgen. Abbatia de Salas* 14. *Maij* 1612. *coram R.P.D.Vbaldo.*

Confectionem: ideſt expeditionem litterarum, tunc autem litteræ dicuntur expeditæ, quando ſunt plumbatæ *cap. licet* 5. *de ſcrimin. falſ.* nam bulla dicitur plumbũ quod pendet ex litteris *gloſſ. in Clem.* 1. *verbo aurea bulla de iureiur.*

Et ſi littera ipſa per praoccupationem: hæc eſt ſecunda pars regulæ, ad cuius intellectum ſcire debes, quod ſicut diſcordante inſtrumento publico ab eius matrice ſiue Protocollo, magis creditur matrici, & ad illam recurri debet pro corrigendo illo inſtrumento diſcrepante ad *l. Siquis ex argentarijs* 6. §. *Prator ff. de eden.* ita etiam cum litteræ Apoſtolicæ diſcordant a ſupplicatione, ſecundum illam corrigendæ veniunt.

Ad cognoſcendum autem diſcordantiam inter ſupplicationem & Bullã, quando ſcilicet plus vel minus Bulla vel ſupplicatio contineat, non ex eo percipiendum eſt, quod facta collatione ſupplicationis cum bulla, diuerſitas reſultet ex pluribus vel paucioribus verbis, vel ex diuerſis commutatis clauſulis, ſed ex eo præ-

præſertim ſi in ſubſtantialibus variant, vel in aliis præter vel contra ſtylum, ab Abbreuiatoribus ſeu aliis huiuſmodi expeditioni præpoſitis in talibus ſeruari ſolitum. ad *cap. porrecta 6. de confirmat. vtili vel inutili*, & in terminis eſt deciſio *Rotæ in cauſa Oriolen. Canonic.* 10. *Iunij* 1620. *coram R. P. D. Remboldo*.

Regula XXVIII.

De Regulis Cancellariæ producendis.

ITem, attendens D. N. Papa, quòd ſuper habendis de Cancellaria Apoſtolica regulis, & conſtitutionibus inibi deſcriptis, faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipſam Cancellariam recurſus dirigi poteſt, nec conſultum foret, quòd ſuper earumdem regularum, & conſtitutionum (quæ iuxta varietatem occurrentium cauſarum & negociorum, aliquoties immutari conuenit) probando tenore, vel effectu, teſtium plerumque tenacem deſuper memoriam non habentium depoſitionibus dari deberet, voluit, ſtatuit,

&

& ordinauit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus Cauſarum Palatij Apoſtolici, & alijs (etiam ſi ſint S. R. E. Cardinales) in ipſa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apoſtolica Iudicibus, etiam in cauſis actu pendentibus, ſuper huiuſmodi tenore vel effectu probando dumtaxat, ſtet, fidemq. adhibeat cedulæ, ſeu ſcripturæ deſuper à duobus de maiori Parco, quòd danda ſit, à tergo ſignatæ, & etiam à duobus alijs literarum Apoſtolicarum Abbreuiatoribus in ipſa Cancellaria auſcultatæ, & Vicecancellarij, ſeu dictam Cancellariam Regentis manu ſubſcriptæ, vt moris eſt. Quicquid autem ſecus fieri contigerit, nullius ſit roboris, vel momenti.

Notæ.

Sententia lata contra extrauagantem incognitam, hoc eſt, non clauſam in corpore iuris, non eſt ipſo iure nulla *cap. paſtoralis* 8. vbi omnes *de fid. inſtrum.* quod idem procedit ſi contra regulas Cancellariæ ſit pronunciatum. *Caſſad. deciſ. 7. ſuper*

*per reg.Cancellariæ num.*5. quia Iudex niſi producantur, non poteſt ſecundum earum tenorem iudicare. *Caſſad. vbi ſupra deciſ.*12.*num.*3.Ideo hic fuit poſita forma qua debeant regulæ produci in iudicium, ad hoc vt eis fides integra adhibeatur.

Regula XXIX.

De ſubrogandis Collitigantibus.

ITem, D.N. cupiens litium ſuccidere anfractus, & ne noui collitigantibus aduerſarij dentur prouidere, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd quoties deinceps aliquem ſuper quouis Eccleſiaſtico beneficio collitigantem, in iure, vel ad ius, ſi quod forſan eius aduerſario in dicto beneficio competierit, ſubrogari conceſſerit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intruſus non fuerit, nec ſuper eo contra dictum aduerſarium, poſtquàm illud per triennium pacificè poſſederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmiſſo iure, ſiue tunc vacet, vel cum vacauerit, impetrationes,

nes, vel conceſſiones, etiam Motu-proprio, infra menſem ante conceſſionem huiuſmodi factæ, nullius ſint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum præſertim, quibus aut propter ſenium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, vt illis decedētibus, tamquam collitigantes in eorum iuribus facilius ſubrogentur, voluit, vt deinceps nullus in iure vel ad ius in beneficio defuncti, quod illo viuente in caſibus præmiſſis, & ſimilibus impetrauerit aliquo modo ſubrogetur, ac ſubrogatio, vel gratia Si neutri, Si nulli, ſeu Nouæ prouiſionis, aut Perinde valere, taliter impetranti nullatenus ſuffragetur. Quod etiam ſtrictiſſimè obſeruari mandauit, in impetrationibus beneficiorum per priuationem & amotionem quibuſuis criminibus, & exceſſibus forſan perpetratis, etiā ſi vſque ad diffinitiuam ſententiam (quæ tamen in rem non tranſiuerit iudicatam) proceſſum foret.

Notæ.

Subrogari conceſſerit: ſubrogatio iuxta terminos noſtros, nihil aliud eſt, quam ſubſtitutio vel ſuffectio in locum defuncti cum aliquo ſuper beneficio litigantis, de qua loquitur text. *in cap. fin. vt lite penden. lib.* 6. Quæ quidem non datur vigore huius regulæ ſine lite *Rota in vna Caſalen. Canonicatus.* 22. *Octobris* 1607. *coram Sanctiſſ. D. N. Gregorio Decimo Quinto*.

Et eſt duplex, altera gratioſa dum ipſe Papa ſubrogat per verbum *ſubrogamus*, altera rigoroſa, quæ dicitur mandatum de ſubrogando, per verba *ſubrogari mandamus*, vel *ſubroges* & ſimilia: declarat *Caſſad.* de vtraque loquens *deciſ.* 1. *vt lit. pend.* & late *Garzia de benef. par.* 6. *cap.* 4. *per totum*, vbi ponit effectus & differentias vtriuſque ſubrogationis.

Collitigans: quando duo inter ſe mutuo & principaliter litigant ſuper titulo eiuſdem beneficii, & lite adhuc pendente alter eorum moritur, ille qui ſuperſtes remanet dicitur Collitigans defuncti, ad effectũ vt priuilegio iſtius Regulæ fruatur. *Gomeſ. hic q.* 12. *per tot.* litem autem quo ad hoc pendere dicimus, poſtquam a Iudice compenti in ea citatio emanauit,

& ad

& ad partem citatam peruenit, vel per eã factum fuit quominus ad eius notitiam peruenirer, dum tamen in citatione talia ſint expreſſa, per quæ plene poſſit inſtrui, ſuper quibus in iudicio cõuenitur. *Clem. ſecunda vt lit. pend.* Hoc tamen procedit, quando lis non eſt calumnioſa *Rota in Placentina Decanatus. 23. Ianuarij 1598. coram Cardinali Pamphilio*, quod intellige ſi clare eſt calumnioſa, ſecus ſi lis ſit colorata *Rota in Gerunden. Canonic. 14. Maij 1601. coram ſanctiſſ. D. N. Greg. XV.* Præterea requiritur quod lis ſit introducta principaliter ſuper titulo, & proprietate beneficii *Mandoſ. hic quæſt. 13. num. 4.* vbi alios plurimos allegat. & fuit dictum in *ſuprad. Caſalen. Canonicatus. 22. Octobris 1607. coram Sanctiſſ. D. N. Gregor. XV.*

Fraudibus obuiare: ſunt nonnulli qui ambitionis ardore viros Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, forte ſenio vel infirmitate confractos explorãt, ipſoſq. ſuper criminibus vel delictis falſo deferunt, & obtinent reſcripta Iudicibus directa de priuando prætextu talium criminum beneficiis huiuſmodi, & eiſdem delatoribus prouidendo, & conſequenter ſenes & infirmos vigore commiſſionũ huiuſmodi ſuper delatis criminibus citare faciunt, nihil aut parum litem proſequentes, & dein-

deinde poſt eorum obitum beneficia huiuſmodi prætextu citationis factæ litigioſa prætendentes, procurant ſe in ius defuncti ſubrogari. Vnde vt talibus inſidiis & fraudibus obuiaretur, ex quibus etiam aperitur via machinationis in mortem, iuſtiſſime facta fuit exceptio, de qua in ſecunda parte huius regulæ.

Regula XXX.

De veriſimili notitia.

ITem, voluit & ordinauit, quòd omnes gratiæ quas de quibuſuis beneficijs eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, ſæcularibus vel regularibus, per obitum quarumcumque perſonarum vacantibus in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti ſint, niſi poſt obitū, & ante Datam gratiarum huiuſmodi, tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipſæ de locis, in quibus perſonæ prædictæ deceſſerint, ad notitiam eiuſdem D. N. veriſimiliter potuerint perueniſſe.

Notæ.

Niſi poſt obitum : odioſa enim fuit ſemper in iure præmatura ſpes collationis. ad *l.primam* §.*ſi impubere ff.de collat.bonorum*, & ſic *improbum eſſe Iulianus exiſtimabat, eum qui de viui hæreditate valde ſollicitus erat*. refert Vlpianus in *l.2.* §. *Interdum ff.de vulg.& pupill.ſubſtit.*

Veriſimiliter:quod arbitrio Iudicis relinquitur,cum ſit quid facti *l.1.*§. 4.*ff. ad ſenat.conſul. Turpilianum*, ibi *facti quidem quæſtio in arbitrio eſt iudicantis*.

Regula XXXI.

Non valeant Commiſſiones cauſarum niſi literis expeditis.

ITem, quòd omnes & ſingulæ cõmiſſiones cauſarum, quas in antea fieri contigerit obtentæ, vel occaſione conceſſionũ dumtaxat Apoſtolicarum de beneficijs eccleſiaſticis gratiarum, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ confectæ non fuerint, ac proceſſus deſuper habendi, nullius ſint roboris, vel momenti.

Notæ.

Notæ.

Hæc regula pene in totum ſimilis eſt regulæ 27. de qua ſupra. Differunt tamen in hoc, quod in illa non annullantur a principio proceſſus, nam ſola ſupplicatio præſentata tribuit iuriſdictionem, licet ſententia proferri non poſſit niſi iuxta formam literarum, & ſic lite pendente poſſunt literæ expediri & præſentari, vt iuxta earum tenorem ſententia proferatur. Hæc autem regula annullat proceſſus a principio, & vult iuriſdictionem non tribuere commiſſiones cauſarum ſuper conceſſionibus beneficiorum, quouſque literæ ſint expeditæ.

Ratio differentiæ eſt, quia regula 27. loquitur de conceſſionibus beneficiorum principaliter factis, hæc autem regula non loquitur de conceſſionibus beneficiorum, ſed de commiſſionibus cauſarum factis obtentu ſeu prætextu dictarum conceſſionum, & ſic ad moleſtandos forte poſſeſſores beneficiorum: & ne temere quis hoc faciat quando prius cum non modicis expenſis cogitur literas expedire, annullantur in hac regula proceſſus ab initio, *Caſſador. ſuper regul. deciſ.* 1. *num.* 5.

Regula XXXII.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

ITem, voluit, quòd impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicuius Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipſius Cardinalis, & ſi ille in Curia fuerit, eius ad id accedat aſſenſus, aliàs deſuper gratia ſit nulla. Et idem ſeruari voluit, ſi Cardinales quomodolibet ab ipſa Curia abſentes, & vbilibet, etiam in his locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamq. & lares in eadem Curia retinentes, ab ipſa Curia receſſerint ad eamdem illicò reuerſuri, & infra decem, vel ad ſummum quindecim dies vere & perſonaliter reuerſi fuerint, ita quod Cardinalibus aliàs quàm vt præmittitur, ex quacumque cauſa quantumlibet neceſſaria, ac qualibet alia ſic neceſſario exprimenda abſentibus, facultas præſtandi con-

ſenſum huiuſmodi non competat, ſed beneficia huiuſmodi ad liberam Sanctitatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ prouiſionem & diſpoſitionem pertineant. Declarans, Regulas, & Conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum, etiam à die earum editionis & publicationis ſuper aſſenſu huiuſmodi præſtando, ſic intellectas & intelligendas fuiſſe, irritumq. &c. attentari decernens. Quodq. ſi prædicti familiares, eorumdem Cardinalium familiares eſſe deſierint, ſeu ad aliorum Cardinalium familiaritatem ſimilem tranſierint, quo ad beneficia quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ, priori ipſa familiaritate durante, ius eis competierit, ita quòd quo ad illa, Cardinales quorum prius familiares fuerint, ſuum habeant adhibere conſenſum. Declarans, præſentem conſtitutionem locum non habere in illis beneficijs, quæ familiares ipſi tempore obitus eorum, in dicta Curia vel extra eam officia obtinerent & antea obtinuiſſent, &

ratio-

ratione officiorum per eos obtentorum dictæ diſpoſitioni generaliter reſeruata, vel affecta fuiſſe apparerent. Nec non illos, quo ad effectum dictæ conſtitutionis, familiares eorumdem Cardinalium cenſeri, qui ipſorum Cardinalium familiares cõtinui commẽſales ad minus per quatuor menſes, etiam ante Cardinalatum, fuiſſe probarentur. Decernens irritum, &c.

Notæ.

Licet ſupra in regula quarta fuerunt Papæ reſeruata beneficia familiariũ Cardinalium, nunc tamen propter eorum honorem iubetur hic in impetratione taliũ beneficiorum exprimi nomen & titulum Cardinalis, & eius (ſi in Curia præſens ſit) conſenſum accedere. *Aegid. Bellam. deciſ. 631. incipit ſuppoſita noua Domini noſtri Gregorij.*

Si Cardinalis quomodolibet: hæc verba vſque ad verſ. *quodq. ſi prædicti familiares* ſunt addita de nouo a Sanctiſſ. D. N. Gregorio XV. quia in regulis antiquis non reperiũtur, & per ea ampliatur Cardinalibus facultas præſtandi conſenſum in

collationibus beneficiorum per obitum eorum familiarium vacantium, ita vt præſentia Cardinalium in Curia (quæ ad hoc neceſſario requiritur) intelligatur eſſe, etiamſi ab ipſa Curia ſint abſentes quando tamen in locis infra duas dietas vicinis degentes, & familiam in eadem Curia retinentes, ab ipſa Curia receſſerint animo reuertendi, & infra decem vel ad ſummum quindecim dies vere & perſonaliter reuerſi fuerint. Quæ quidem extenſio, quandam imaginem refert illius extenſionis quam circa reſeruationem beneficiorum apud Sedem vacantium fecit Bonifacius VIII. in *cap. præſenti 34. de præben. in ſexto*.

Regula XXXIII.

Super eadem familiaritate.

ITem, idem D.N. ad euitandas lites, & contentiones quæ ex præcedenti ſua Conſtitutione exoriri poſſent, veſtigijs Prædeceſſorum ſuorum in hærendo, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd ſi beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commenſalium eorundem Cardinalium in futurum vacabunt, (ceſſantibus

tibus Apoſtolicis reſeruationibus) ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam diſpoſitionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Conſtitutione non comprehendantur, quo ad hoc vt in prouiſionibus talium beneficiorum, ſuper expeditione literarum illius Cardinalis cuius familiaris defunctus ille extitit, conſenſus requiri debeat, ſed beneficia huiuſmodi ad collationẽ, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem Cardinalis Ordinarij collatoris, vt præfertur, liberè ſpectare cenſeantur. Et ſi apud Sedem Apoſtolicam beneficia huiuſmodi per obitum dictorum familiarium vacauerint, tunc in prouiſione talium beneficiorum, ſuper expeditione litterarum, illius Cardinalis exigatur conſenſus, (ſi in Romana Curia præſens fuerit) ad quem eorumdem collatio, vel diſpoſitio, vt præfertur, pertinere deberet.

Notæ.

Hæc regula eſt hodie in totum abrogata per *Conſtitutionem* 19. *Gregorij XIV.*

§. 2. *verſ. volens in Bullario nouo tom. 2. fol.712.* & per aliam *Pauli V. §. 1. verſ. voluit vlterius*, quæ eſt in ordine 58. *tom.3. fol.246.*

Regula XXXIV.

Signatura per Fiat, præferatur alteri per Conceſſum.

ITem, voluit idem D. N. quòd concurrentibus eadem die ſuper quocumque beneficio, per Fiat, & Conceſſum ſignaturis, ex eis, per Fiat, etiam vt petitur, habens, alteri per Conceſſum, etiam Motuproprio habenti, præferatur, etiam ſi in illa per Conceſſum prægnantiores, & quantumlibet priuilegiatiuæ eſſent clauſulæ.

Notæ.

Hæc regula conſiderari poteſt cum regula 17. de concurrentibus in data, cum ſit eiuſdem materiæ.

Præferatur: ratio prælationis eſt, quia Signatura per fiat, fit manu ipſius Papæ, Signatura vero per conceſſum, non niſi

manu

manu Cardinalis Præfecti, ſeu alicuius Prælati. late *Gomeſ. in compend. vtriuſque Signaturæ.*

Regula XXXV.

De Annali poſſeſſore.

ITem, S.D.N. vt improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quod quicumque beneficium eccleſiaſticū tunc per annum immediatè præcedentem pacificè poſſeſſum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetrauerit, nomen, gradum, & nobilitatem poſſeſſoris eiuſdem, & quot annis illud per ſe poſſederit, ac ſpecificam, & determinatam, ex qua clarè poterit conſtare quòd nullum ipſi poſſeſſori in dicto beneficio ius competat, cauſam in huiuſmodi impetratione exprimere, & infra ſex menſes, ipſum poſſeſſorem ad iudicium euocari facere, cauſamq. ex tunc deſuper infra annum vſque ad ſententiam diffinitiuā incluſiuè proſequi debeat, & tenea-

tur . Alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde ſequuta , nullius exiſtant firmitatis, & idem impetrãs de damnis , & intereſſe poſſeſſorem præfatum propterea contingẽtibus, ei ſatisfacere , & ſi poſſeſſorem ipſum iniuſtè, friuolè, et indebitè moleſtaſſe repertus extiterit , quinquaginta florenos auri perſoluere Cameræ Apoſtolicæ ſit adſtrictus . Nec alius quam præmiſſæ vacationis modus , etiam per literas Si neutri , aut ſubrogationis,aut alias ſibi,quo ad hoc vt beneficium huiuſmodi ea vice conſequi , aut obtinere valeat , quomodolibet ſuffragentur , illudq. nullatenus in antea litigioſum propterea cenſeatur . Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia Eccleſiaſtica cuiuſcumque qualitatis, per priuationem, et amotionem,vel aliàs propter commiſſa exceſſus et crimina , vacantia vel vacatura , et ſimiliter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per deuolutionem .

Notæ.

Notæ.

Hæc regula tendit ad eundem finem, ad quem reſpiciunt regula 29. de qua ſupra,& aliæ tres regulæ ſequentes,nempe ad reprimendas lites: quod quidem maxime intereſt vtilitatis publicæ *l. quidam exiſtimauerunt* 21. *ff. de reb. creditis*.

Ad inſtar igitur interdicti, *vti poſſidetis*, quod eſt prohibitorium ad retinendam poſſeſſionem,nec pluris quam quanti ea res fuerit intra annum quo primum experiundi poteſtas fuerit, agere permittit *l.* 1. *ff. vti poſſid.* fuit in beneficialibus introducta hæc annalis exceptio, quia beneficia ſola poſſeſſione obtinentur.

Tunc per annum: qui incipit a die poſſeſſionis pacificæ adeptæ per eum cuius beneficiũ impetratur.argumento tex. in *l. ait lex* 21. *in prin. ff. ad l. aquiliam*.terminatur vero poſtquam completus eſt annus dictæ pacificæ poſſeſſionis, & antequã beneficiũ ab alio impetretur. Nam dictio illa, *tunc*, interpretatur de impetrationis tempore ad *l. ſi ijs legatum* 4. *ff. de condit. & demonſtr. in fine* ibi *quia hic articulus tunc extremi quinquennij tempus ſignificat &c.* & ſic nota quod hæc regula loquitur de impetrante poſt lapſum anni, ſecus ſi impetratio fiat intra

annum *Cæſar de Graſſ. deciſ. 35. alias. 7. de cauſa poſſ. & propriet.*

Pacifice poſſeſſum: Pacificus poſſeſſor ad effectum huius regulæ dicitur ille, cui nulla mota fuit controuerſia iuris vel facti, in iudicio vel extra ſuper beneficio poſſeſſo *glóſſ. in Clem. gratiæ 4. verb. pacifice de reſcript. Caſſad. deciſ. 14. ſuper reg. num. 11. incip. propoſitum fuit*.

Nomea, gradum &c. hæc eſt prima pars huius regulæ, cui tamen hodie paſſim ſolet derogari, per clauſulas generales in impetrationibus beneficiorum.

Infra ſex menſes: computandos ſcilicet a die prædictæ impetrationis, non autem à die expeditionis literarum vel commiſſionis: & ratio eſt, quia quando lex de tempore reſpectu actus diſponit, incipit tempus currere à die actus. *l. ait lex 21. ff. ad l. aquiliam*.

Infra annum: computandum a die citationis executæ, non vero poſt illos ſex menſes ſupra relatos, nam illi dantur impetranti ad expediendum literas, illiſque expeditis ad committendum cauſam, & vt poſſit ſe futuræ liti præparare, & denique ad poſſeſſorem euocari faciendum. Vnde finita cauſa dilationis finitur dilatio, etiamſi totum tempus ſex menſium non ſit lapſum. argumento tex. in *l. a filiis 62. §. Alumno ff. ad S.C. Trebellianum.*

Vſque

Vſque ad ſententiam diffinitiuam proſequi: ſufficit tamen impetranti, inſtare coram Iudice parte citata vt ſententiam ferat, etiamſi Iudex non pronunciet: imo etiamſi nihil reſpondeat, ſeu dicat ſe nolle ſeu non poſſe pronunciare, nam iſti regulæ ſatisfactum eſt ex parte impetrantis facientis quod in ſe eſt. argumento text. *in Clem. ſicut appellationem 3. de appellationibus*, & facit verbum, *proſequi*, quo vtitur noſtra regula, quia non dixit finire teneatur ſed proſequi debeat: in ſubſidium tamen, & ad cautelam ſolet peti ab Impetrante prorogatio termini, qui etiam ſolet a Papa facile concedi.

Regula XXXVI.

De Triennali.

ITem, ſtatuit et ordinauit idem D. N. quòd ſi quis, quæcumque beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu, ex quouis titulo, Apoſtolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, et electionis huiuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, et inſtitutione

ne illorum ad quos beneficiorum huiuſmodi collatio, prouiſio, electio, et præſentatio, ſeu quæuis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit (dummodo in beneficijs huiuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſeruatione generali in corpore iuris clauſula reſeruata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper eiſdem beneficijs taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, ac impetrationes quaſlibet de beneficijs ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas, & inanes cenſeri deberi decreuit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.

Notæ.

Licet regulariter beneficium Eccleſiaſticum non poſſit licite, ſine Inſtitutione Canonica obtineri, hoc eſt, ſine titulo Canonico vero & valido *cap. 1. de reg. iur. in ſexto.* ad extinguédum tamen lites, hæc regula introduxit poſſeſſionem triennalem, ad inſtar vſucapionis rerum mobilium, in quibus poſſeſſio triennalis defendit poſſeſſoré. *l. 1. C. de vſucap. transf.* Nam beneficia durãt ſicut res mobiles ad tempus

pus, & ſic conuenienter comparantur in eodem vſucaptionis genere.

Abſque Simoniaco ingreſſu: hoc excipitur, ne tam vitioſus ingreſſus in beneficiis admittatur. Intellige tamen de ſimonia reali, vel conuentionali, non autem de mentali, nam hæc ſola poenitentia deletur *cap. fin. de Simonia*.

Per triennium: intellige continuum, & non interpolatũ, ex dictis ſupra in præcedenti regula; verbo *immediate præcedentẽ*.

Pacifice poſſederit: Declara prout ſupra in dicta præcedenti regula, in verbo *pacifice poſſeſſum*.

In corpore iuris clauſa: quæ eſt vna ſola, vt reſoluit *Garzia de benef. par. 5. cap. 1. num. 132.* nempe reſeruatio beneficiorum vacantium in Curia, de qua *in cap. 2. de præbend. in ſexto.*

Nota ex hac regula, quod tantum excipiuntur duo caſus, nempe ſimoniaci ingreſſus, & intruſionis in beneficio vacanti in Curia, in quibus Papa diſcolorat titulum, & diſponit regulam non habere locum: ergo in aliis caſibus non exceptis regula manet firma, quia exceptio firmat regulam in non exceptuatis. *vulg. l. nam quod liquide 4. §. fi. ff. de penu. legat. notat Gomeſ. hic q. 10. verſ. & principalis ratio iſtius deciſionis.*

Vnde poſſidens duo curata ſeu alia incom-

incompatibilia beneficia per triennium, aut non promotus infra annum ad ſacros ordines iuxta *c. licet canon.* 14.*de elect.in* 6.defendētur iſta regula.*Gomeſ.in d.q.*10. ſimiliter illegitimus, licet ſit incapax beneficiorum, iſta regula erit ſecurus. *Gomeſ. hic q.*2. per totam, & ſic de ſingulis aliis irregularibus ſeu incapacibus.

Regula XXXVII.

De non appellando ante diffinitiuam ſententiam.

ITem, idem D. N. vt finis litibus celerius imponatur, & litigantiũ parcatur ſumptibus & expenſis, ſuorum Prædeceſſorum conſtitutionibus, & ſtatutis inhærendo, ſtatuit, & ordinauit, quòd in cauſis pendentibus, & quas in poſterum contigerit agitari, nulli ante diffinitiuam ſententiam liceat appellare, nec appellatio, ſi fuerit emiſſa, debeat admitti, niſi ab inter loquutoria quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à grauamine minimè cõcernente negocium principale, quòd non poſſit per appellationem à diffinitiua ſententia reparari.

rari. Nullæq. cauſæ appellationum committantur, niſi in commiſſione exprimatur, quòd interloquutoria vim diffinitiuæ habeat, vel grauamen ſit tale, quòd in appellatione à diffinitiua non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commiſſiones in poſterum, & quicquid inde ſequutum fuerit, nullius ſint roboris, vel momenti, commiſſionibus appellationum iam iudicibus præſentatis, & exhibitis, in ſuo robore permanſuris in quibus, latis ſuper eiſdem ſentẽtijs, ſecundo, vel vlterius ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes, etiam ab interloquutorijs, & grauaminibus huiuſmodi, ſuo vel alterius nomine proſequentes, ſi ſuccubuerint, vltra expenſas & damna, ad quæ reſarcienda de iure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctentur.

Notæ.

Licet de æquitate Canonica ſingulis ampla tribuatur facultas appellandi ante, &

te, & poſt litis conteſtationem, & in alia quacumque litis parte, etiam in prolatione ſententiæ,& poſt eam *cap. ſuper eo 12. de appell.* ne alias quis ſe grauatum conquereretur, quia tamen ex hoc lites fiebant immortales in magnam Reipublicæ perniciem, idcirco vt finis litibus celerius imponeretur, & litigantium ſumptibus & expenſis parceretur, hæc regula illam appellandi licentiam intra certos terminos concluſit.

Quæ vim habeat diffinitiua: veluti ſi Iudex incompetens ſe competentem pronunciauerit, iuxta *gloſſ. in verb. cadat in authen. Habita C. ne filius pro patre.*

A diffinitiua ſententia reparari: veluti ſi Iudex iubeat aliquem torqueri. vt in *l. 2. ff. de appellat. recip.*

Regula XXXVIII.

Non ſtetur commiſſioni poſt concluſionem.

ITem, ſtatuit & ordinauit, quod in commiſſionibus de iuſtitia, ſeu mandatis etiam conſiſtorialibus, per eum, ſeu de eius mandato, vel auctoritate in cauſis in quibus concluſum exiſtat, in poſterum concedendis,

dis, etiam ſi in eis de concluſione huiuſmodi implicite vel explicite, mentio facta fuerit, nihil cenſeatur eſſe conceſſum, niſi per conceſſionem commiſſionis huiuſmodi derogetur expreſſe.

Notæ.

Hæc regula vix hodie eſt in vſu, quia paſſim ſolet derogari. teſte *Gomezio hic poſt princ.* eius tamen ratio fuit iuſtiſſima, & fundata in *nouella Conſtitutione* 113.*collat*.8. *tit*.14. *in medio litis non fieri ſacras formas aut ſacras iuſſiones, ſed ſecundum antiquas leges generales lites decidi*.

Regula XXXIX.

De literis Religioſorum expediẽdis.

ITem, voluit & ordinauit, quòd ſi aliqui Religioſi petunt aliquod beneficium ad nutum amouibile, cum clauſula, quod exinde pro ſolo nutu Abbatis, vel Superioris amoueri non poſſint, literæ, quo ad ipſam clauſulam, nullatenus expediantur, niſi idem D. N. ponat in ſignatura

tura, quod non poſſit amoueri, vel ad partem clauſulam ipſam concedat.

Notæ.

Papa in dubio nunquam cenſetur velle alterare naturam beneficii. *Felin. in c. in noſtra num. 45. de reſcrip. Rota deciſ. 739. nu. 8. par. 1. diuer.* Vnde hæc regula emanauit, ne alias per prouiſionẽ Papæ prætenderetur alterari naturam beneficii regularis, quod eſt manuale ſiue ad nutum amouibile. *Gonz. ſuper regula* 8. *gloſſ.* 5. §. 6. *num.* 29. & ratio dubitandi videbatur eſſe, quia licet beneficium regulare ſit manuale, & ad nutum amouibile, tamen quia Papa appoſuit manũ dubitari poterat an fieret irreuocabile. ex *cap. vt noſtrum de appell.* notat *hic gloſſator antiquus poſt principium.*

Regula XL.

De clauſula ponenda in literis permutationum beneficiorum.

ITem, ſi committatur alicui beneficij reſignationis receptio, ponatur clauſula, Attentè quoque prouideas, &c. & ſi ex cauſa permutationis

tionis reſignationes fiant, ponatur clauſula, Quòd neuter permutantium ius acquirat, niſi quilibet ipſorum ius habuerit in beneficio per ipſum reſignato.

Notæ.

Cum nulla ratio hoc veriſimile reddat, vt quis beneficium multis forte expenſis & laboribus acquiſitum, quo ſuſtentari debet, facile ſine magna cauſa ſponte reſignet, idcirco iubetur in hac regula, quod in reſignatione beneficiorũ quorum receptio ſit alicui commiſſa, ponatur hæc clauſula, videlicet, *Attẽte quoque prouideas, quod in renunciatione prædicta dolus, vis, metus, vel aliqua Simoniaca prauitas non interueniat, &c.* quæ quidem deducta fuit ex *cap. ſuper hoc 5. de renunciat.* cum quo hæc regula concordat.

Ex cauſa permutationis: ſupradicta procedunt quando reſignatio fuit facta ſimpliciter, quando vero fit ex cauſa permutationis, tunc iubetur poni alia clauſula in litteris, nempe, *quod neuter permutantium ius acquirat, niſi quilibet ipſorum ius habeat in beneficio per ipſum reſignato*, quæ quidem clauſula fundatur in *cap. nemo poteſt de reg. iur. in ſexto. & cap. ſi beneficia 20. de præbend. eodem lib.*

Regu-

Regula XLI.

De ſupplendis defectibus.

VOluit, quòd ſi petatur ſuppleri defectus in genere, nullatenus litteræ deſuper concedantur, niſi in petitione deſuper huiuſmodi defectus exprimantur, vel, per Fiat vt petitur, ſupplicatio ſignata fuerit.

Notæ.

Hæc regula tollit magnum dubiũ quod erat inter Doctores, quando ſcilicet Papa confirmat aliquam alienationem rei Eccleſiaſticæ, vel vnionem beneficiorum, contractum, ſeu aliud quid ſimile cum iſta clauſula, *ſupplentes de plenitudine poteſtatis defectus ſi qui ſunt, &c.* quos defectus videatur Papa ſupplere? vt notat *hic Gloſſator antiquus*; Ideo iubetur quod in Cancellaria non apponatur prædicta clauſula in genere, niſi ſpeciatim omnes defectus exprimãtur, vel niſi Papa id de nouo conceſſerit, quod apparebit quando ſupplicationem ſignauerit per *fiat vt petitur*: nam hæc ſignatura denotat nouam gratiam, *Gomeſ. in Compend. vtriuſque ſignatura*

turæ poſt princ.verſ.poſtremo circa iſtam ſignaturam.

Regula XLII.

De Derogatione Iuriſpatronatus.

ITem, voluit, quòd ſuper quouis beneficio Eccleſiaſtico de iurepatronatus laicorum, non expediantur literæ, niſi ponatur expreſsè, quòd tale beneficium tanto tempore vacauit quòd eius collatio ad Sedem Apoſtolicam legitimè eſt deuoluta, vel quia tempus patronis laicis ad præſentandum à iure præfixum lapſum exiſtat, aut ad id patronorum ipſorum accedat aſſenſus. Et ſi per ipſum iuripatronatus huiuſmodi derogari contigerit, iuriſpatronatus huiuſmodi mentio diſpoſitiuè, ac ſpecificè, & determinatè, non autem conditionaliter fiat; Et ſi illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in literis prouiſionis, vel mandato de prouidendo de dicto beneficio ſimilis mentio facta

ĉta non fuerit, non cenſeatur quomodolibet derogatum.

Notæ.

Non dubium eſt quin poſſit Papa Iuripatronatus laicorum derogare, cum plus iuris habeat in conceſſione Prælatus, quã in præſentatione Patronus *cap. dilectus* 6. *de offic. legat.* quia tamen legitima patronatuum iura tollere, piaſq. fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare, æquum non eſt, prout conſiderauit *Sac. Concilium Tridentinum cap.* 9. *in princ. ſeſſ.* 25. *de reformat.* & ex hoc ſequeretur illud inconueniens, quod laici retraherentur a ſimilibus fundationibus. *ad. c. decernimus* 16. *q.* 7. Ideo in hac regula iubetur, quod in beneficio de Iurepatronatus laicorum non expediantur in Cancellaria, literæ, niſi in tribus caſibus hic exceptis.

Regem Ducem Marchionem, vel alium Principem: ſimilis exceptio fuit facta in, *cap. ne aliqui* 5. *de priuil. in ſexto.* & in, *Concil. Trident. d. cap.* 9. *ſeſſ.* 25. quod quidem fit iuſte, cum plus aliis eos honorari deceat, & plus ipſis deferre conueniat ob reuerentiam quam cæteri homines in Reges & perſonas illuſtres habere ſolent. ad *cap.* 2. *de offic. & poteſt. Iud. deleg. in ſexto.*

Regu-

Regula XLIII.

De Commendis.

ITem, voluit, quòd nulli ſeculari de regulari, nec religioſo de ſeculari, beneficijs Commenda detur, niſi in ſignatura, per clauſulam ad partem, ſuper petitione Commendæ huiuſmodi, de Commenda ipſa mentio fiat.

Notæ.

Cum rationi non congruat, vt homines diſparis conditionis & habitus ſimul in eadem Eccleſia ſociētur *Clem.* 1. *de elect. & electi poteſtate* hinc eſt quod ſingula ſingulis debeant conferri beneficia, ſæcularibus ſæcularia, & Regularia Regularibus. *Clem. vnic.* §. 1. *de ſupplen. neglig. Prælatorum.*

Quæ prohibitio extenditur in hac regula ad commendam, ita vt niſi expreſſe fiat mentio de ea, ſuper petitione ipſius per clauſulam ad partem, nullo modo in Cancellaria poſſit vlli ſæculari de regulari beneficio, vel econtra dari Commenda, de cuius materia loquitur text. *in cap. nemo deinceps* 15. *de elect. in ſexto.*

Regu-

Regula XLIV.

De Reformationibus.

ITem, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd ſuper quibuſcumque reformationibus ſignatis ſuper impetrationibus quorumcumque beneficiorum, vacantium vel certo modo vacaturorũ, in quibus petitur quod literæ ſuper prima Data expediri poſſint, ſi ex huiuſmodi expeditione ſub tali Data, cuiquam videatur poſſe fieri præiudicium, literæ huiuſmodi ſub ipſa prima Data nullatenus expediantur, niſi reformationes huiuſmodi per Fiat, ſub prima Data, ſignatæ fuerint.

Notæ.

Hæc regula eſt ponderanda cum regula 18. *de non tollendo iure quæſito*, cum, ſit eiuſdem materiæ.

Super quibuſcumque reformationibus: Reformatoria gratia ad hoc tendit, vt omiſſum ſuppleat, vel male expreſſum, corrigat ſeu emendet *Mandoſ. deſignat. grat. verb. reformationes in princ.* nam reforma-

formare, vſurpatur nonnumquam pro de nouo conſtituere, ſeu immutare *l. vecti-galia 10. ff. de publicanis* veluti ſi quis velit ſupplere expreſſionem veri valoris non recte in prima ſupplicatione factam, vel mutare modum vacationis beneficii, vel nomen aut cognomen oratoris, vel titulum ipſius beneficii ponendo loco ſimplicis Parochialem Eccleſiam, quia re vera erat Parochialis & non ſimplex vt prius narrauerat. In his omnibus & ſimilibus caſibus, gratia quæ de nouo conceditur à Papa, appellatur gratia Reformatoria, ſiue reformatio.

Nullatenus expediantur: ſed ſub Data currenti, videlicet ſub Data ipſius reformationis, nam ſi literæ expedirentur ſub Data primæ impetrationis, fieret præiudicium ei cui medio tempore fuiſſet iam valide facta ſuper eodem beneficio collatio ſeu prouiſio, contra *cap. quamuis 8. de reſcrip. in ſexto.* cum quo concordat hæc regula.

Niſi reformationes: gratias reformatorias ſolet Papa ſignare per verbum *fiat*, nullo alio addito. *Gomeſ. in Compendio vtriuſque Signaturæ poſt principium*. Sed quia nonnumquam illas concedit ſub prima Data impetrationis, teſte *Mandoſio vbi ſupra verſ. nonnumquam*. ideo in hac regula oſtenditur quando id Papa

cenſeatur concedere, tunc videlicet, quādo in Signatura poſt verbum *fiat*, addiderit hæc verba, *ſub prima Data*.

Regula XLV.

De conſenſu in reſignationibus, & penſionibus.

ITem, voluit & ordinauit, quod ſuper reſignatione cuiuſcumque beneficij Eccleſiaſtici, ſeu ceſſione iuris in eo, quam in manibus ſuis, vel in Cancellaria Apoſtolia fieri cōtigerit, Apoſtolicæ literæ nullatenus expediantur, niſi reſignans, vel cedens, ſi præſens in Rom. Curia fuerit, perſonaliter, alioquin per procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expeditioni huiuſmodi in eadem Cancellaria expreſsè conſenſerit, & iurauerit, vt moris eſt. Et ſi ipſum reſignantem ſeu cedentem, pluries ſuper vno & eodem beneficio, in fauorem diuerſarum perſonarum ſucceſſiue conſentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quòd primus conſenſus tenere debeat,

debeat, & alij poſteriores conſenſus, ac literæ illorum prætextu, etiam ſub priori Data expeditæ pro tempore, nullius ſint roboris vel momenti. Nec literæ reſeruationis, vel aſſignationis, etiam Motuproprio, cuiuſuis penſionis annuæ ſuper alicuius beneficij fructibus expediri poſſint, niſi de conſenſu illius qui penſionem perſoluere tunc habebit.

Notæ.

Hæc regula tendit ad euitandas fraudes, quæ de facili fieri poſſent in graue præiudicium beneficia poſſidentium. ideoque eorum conſenſus in reſignationibus & penſionibus requiritur quod ſit expreſſus, ne alias ignorantes aliquam for taſſe iniuriam accipiant. ad *l. in diem* 9. *ff. de aqua plu. arcen.*

Etſi ipſum Reſignantem: hæc eſt ſecunda pars huius regulæ, vbi declaratur primum conſenſum præualere, in caſu quo reſignans conſenſerit bis vel pluries, tum propter ius tertio ex primo conſenſu iã acquiſitum, tum etiam quia illuſio & variatio in perſonis eccleſiaſticis eſt de iure prohibita. *Clem. vnic. de renunciat.*

Regula XLVI.

De ingreſſu Religionis.

ITem, non dentur literæ ſuper beneficijs vacaturis per ingreſſum Religionis, niſi ille præceſſerit Datam deſuper petitionis.

Notæ.

Hæc regula adiungenda eſt cum regula 26. de qua ſupra, quia eiuſdem rationis fundamento nititur, nempe ad excuſandam nimiam & præpoſteram importunitatem ſupplicantium, quæ a iure ambitioſa notatur *cap. fin. de reſcrip. in ſexto*.

Differt autem hæc regula ab illa in hoc, quod illa loquitur in beneficiis vacaturis per promotionem ad Eccleſias, & Monaſteria, hæc autem de vacaturis per ingreſſum Religionis.

Niſi ille præceſſerit: ratio eſt, quia beneficium non vacat per ſolam habitus ſuſceptionem, ſed per ingreſſum religionis, ideſt, poſt emiſſam profeſſionem *cap. beneficium* 4. *de regularibus in ſexto*.

Regula XLVII.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

ITem, voluit, quòd ſi petatur aliquod beneficium vacãs per modum in Cancellaria Apoſtolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ deſuper expediantur.

Notæ.

Licet de iure communi non teneatur impetrator modum vacationis exprimere, vt notant *Doct. in c. ſuſceptum 6. de reſcript. in ſexto.* tamen hic contrarium iubetur, ad obuiandas fraudes quæ de facili poſſent oriri, nam poterat aliquis ante obitum alicuius beneficia eius impetrare, & poſtea expectare obitum, & tempore expeditionis literarum exprimere in Cancellaria modum iſtius vacationis; ex quo fieret præiudicium tertio, qui per modum certum & expreſſum in ſupplicatione idem beneficium impetrauit, contra d. *cap. ſuſceptum §. ſi duo.*

Nota tamen, quod in clauſulis generalibus ſupplicationis, ſolet de ſtylo addi, *quod maior & verior expreſſio fieri poſſit in litteris*, cum Clauſula, *ſiue præmiſſo ſiue alio quouis modo beneficium vacet, &c.* & tunc poterit in literis exprimi alia vacatio, quia dicta clauſula capit omnes vacandi modos, *Lapus alleg.6. num.5.* & *Moder. de clauſulis clauſ.173. par.1. nu.1.* Quod intellige ſi primus modus narratus in ſupplicatione iuſtificetur, ſaltim de facto. *Moder. in prædicta clauſ. num.7. verſ. dic verum*, & duos ſuper quinquaginta modos vacandi beneficia reperies apud *Gonzal. ſuper regula 8. gloſſ.15. per totam.*

Regula XLVIII.

De executione facienda.

ITem, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd quotieſcumque per ſignaturam ſuam, vel de eius mandato factam, ſuper exequendis aliquibus, cum adiectione proprij nominis, vel dignitatis cuiuſuis iudex datur, literæ deſuper expediantur cum expreſſione, quòd idem iudex executionem faciat per ſeipſum.

Notæ.

Vel dignitatis: hic derogatur diſpoſitioni Capituli *quoniam Abbas* 14. *de offic. & poteſtate Iudicis Delegati*.

Per ſeipſum: quia tunc videtur Papam elegiſſe induſtriā & fidem perſonæ iuxta *cap. fin. §. is autem eodem titulo*.

Regula XLIX.

De diſpenſationibus in gradibus conſanguinitatis.

ITem, voluit, quòd in literis diſpenſationum ſuper aliquo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clauſula, Si muler rapta non fuerit. Et ſi ſcienter, ponatur clauſula addita in quaterno.

Notæ.

Clauſula ſi mulier rapta: de iure Canonico rapta puella legitime contrahit cum raptore, ſi prior diſſenſus tranſeat poſtmodum in conſenſum. *cap. fin. de raptoribus. Concil. Trident. cap. 6. ſeſſ. 24. de*

reform. matrim. de iure tamen ciuili contrarium obſeruabatur *l. vnic. C. de raptu Virginum.* ſed in hac regula Papa ſe conformat cum iure Ciuili, declarans quod ſuper hoc non intendit diſpenſare, niſi expreſſe petatur diſpenſatio. Ideoque in literis diſpenſationis iubet apponi dictam clauſulam, *ſi mulier rapta non fuerit.*

Et ſi ſcienter: ideſt, ſi raptor ſcienter contraxit cum rapta, & petatur diſpenſatio a Papa, tunc apponi iubetur clauſula addita in Quaterno Cancellariæ, hæc ſcilicet, *vt ſeparentur ratione delicti pro tempore, quouſque ad arbitrium Commiſſarij congruam egerint poenitentiam, &c.* quod fundatur in *cap. ex literis* 8. *de eo qui cogn. conſang. vxor. ſua.*

Regula L.

Super defectu natalium.

ITtem, voluit, quòd in diſpenſationibus ſuper defectu natalium quòd poſſint ſuccedere in bonis tēporalibus; ponatur clauſula; Quòd non præiudicetur illis, ad quos ſucceſſio bonorum ab inteſtato pertinere debeat.

Notæ.

Notæ.

Sicut Papa poteſt cum illegitime natis ad ordines ſuſcipiendos diſpēſare. *cap.* 1. *de fil. presbyt. lib.* 6. & ad beneficia obtinenda *cap.* 2. *eod. tit. & lib.* & vt poſſint in Epiſcopos promoueri *cap. per Venerabilem* 13. *qui filij ſint legitimi*, ita ſimiliter cum eis poteſt diſpenſare vt poſſint in bonis temporalibus ſuccedere *d. cap. per Venerabilem* §. 1. Hoc tamen Papa facere non intendit in præiudicium venientium ab inteſtato.

Regula LI.

Super Diſpenſationibus.

ITem, quòd per quamcumque ſignaturam in quauis gratia, nullatenus diſpenſatio veniat, niſi dicta gratia totaliter effectum huiuſmodi diſpenſationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur.

Notæ.

Cum minor 14. annis, vel illegitime natus, ſeu alias incapax impetrat ſecun-

dum beneficium a Papa, licet narret in iſta ſecunda impetratione ſe eſſe minorẽ, illegitimum, ſeu alias incapacem, non tamen ideo diſpenſatus cenſetur ad tale beneficium obtinendum, quia gratia ſic petita non concernit totaliter effectum huiuſmodi diſpenſationis, ſed reſpicit principaliter impetrationem illius ſecundi beneficii, quod eatenus conceſſum cenſetur, quatenus ab ipſo impetrante poſſit alias canonice obtineri. ad *cap. dudum 53. de elect.*

Regula LII.

Nulli ſuffragetur diſpenſatio niſi literis confectis.

ITem, cum cõceſſiones ſuper gratijs diſpẽſationum quarumcumque, quibuſuis per ipſum D.N. conceſſarum vel concedẽdarum, per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ ſint prouide limitatæ, licet aliquando in petitionibus ſuper huiuſmodi conceſſionibus oblatis multa ſint petita, ne quis talium conceſſionum prætextu, id diſpenſatiue tenere aut facere præſumat, ad quod conceſſiones

nes huiuſmodi ſe non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis diſpenſatio cuiquam, in iudicio vel extra, ſuffragetur, antequàm ſuper ea litteræ Apoſtolicæ ſint confectæ.

Notæ.

Hæc regula eſt ſatis clara, & conformis *regulæ 27. de non iudicando iuxta formam ſupplicationis*, vbi de ea mentionem fecimus.

Solum nota, quod non habet locum, quando diſpenſatio eſt ſimul cum prouiſione beneficii. *Caſſad. deciſ. 35. ſuper reg. & Put. deciſ. 474. lib. 2.*

Regula LIII.

De clauſulis ponendis in literis Indulgentiarum.

ITem voluit, quòd in literis Indulgentiarum ponatur, quòd, ſi Eccleſiæ, vel Capellæ, vel alias, aliqua Indulgentia fuerit per ipſum conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit, huiuſmodi literæ nullæ ſint.

Notæ.

Ex hac regula deducta fuit clauſula adponi ſolita in omnibus conceſſionibus Indulgentiarum, videlicet. *Volumus autem, vt ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint, &c.*

Per ipſum: ex hoc verbo nota, quod hæc reſtrictiua intelligitur tantum de ipſo Papa concedente talem Indulgentiam in qua prædicta clauſula apponitur, nam verbum, *per ipſum*, de quo in hac regula, & verbum, *conceſſerimus*, poſitum in dicta clauſula, ſunt perſonalia. ex *cap. literis*. 39. *de reſcript*. & *cap. ſi gratioſe* 5. *eod. tit. in* 6.

Vnde ſi illa Eccleſia haberet aliam ſeu alias Indulgentias, non ab eodem Papa ſed ab antcceſſoribus conceſſas, de quibus in ſecundis literis mentio facta non ſit, non ex eo vitiabuntur. declarat *Garzia de benefic. par. 5. cap. 1. num. 651.*

Regula LIV.

De Indulgentijs conceſſis Ad inſtar.

ITem, voluit idem D. N. quòd literæ ſuper Indulgentijs non expe-

expediantur Ad inſtar, niſi ſpecificentur.

Notæ.

Ad inſtar: vult enim Papa quod non in genere expediantur literæ ſuper conceſſionibus Indulgentiarũ, ſed quod ſpecificentur indulgentiæ illæ, ad quarum inſtar noua conceſſio fuit petita, nam alias poſſet de facili Papa decipi ad *cap. primum de Conſtit. in ſexto.*

Regula LV.

De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.

ITem, voluit, quòd in gratijs quas quibuſuis perſonis, de beneficijs vacantibus, ſeu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ perſonę tunc obtinuerint, ſeu de quibus eis fuerit prouiſum, vel conceſſum, aut mandatum prouideri, verus annuus valor per Marchas argenti, aut Sterlingorum, vel libras Turonen. paruorum, ſeu Florenos

renos auri, aut Ducatos, vel vncias auri, ſeu aliam monetam ſecundum communem eſtimationem exprimatur, niſi perſonæ prædictæ, beneficia quæ tunc obtinuerint, aut in quibus vel ad quæ ius eis cõpetit, iuxta ipſarum oblationes, aut aliàs dimittere teneantur: alioquin gratiæ prædictæ ſint nullæ. Et idem ſeruetur in gratijs quas à Sanctitate ſua Motuproprio emanare contigerit, quo ad beneficia de quibus per Sãctitatem ſuam pro tempore prouidetur, ſeu prouideri mandatur, aut aliàs diſponitur, ac literis per quas pro tempore ad Eccleſiarũ Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monaſteriorum regimina promotis conceditur, vt Monaſteria, & alia beneficia Eccleſiaſtica ſęcularia & regularia per eos obtenta, & in quibus & ad quæ ius eis competit, retinere poſſint.

Notæ.

Duæ ſunt cauſæ finales huius regulæ. Prima eſt, ne aliquis per taciturnitatem veri

veri valoris beneficiorum, vltra merita, & pluſquam oportet de beneficiis eccleſiaſticis capiat. *cap. poſtulaſti 27. de reſcrip. & cap. quia nonnulli 3. de Cleric. non reſiden.* quod etiam de iure ciuili in militibus obſeruabatur, nam eis ſtipendia pro qualitate perſonæ dabantur *l. 2. §. & vnumquemque. in fine C. de offic. Præfecti Prætorio Africæ.*

Secunda cauſa fuit, ne alias defraudaretur dimidia Annata in Cancellaria ſolui ſolita, hoc eſt, dimidia pars fructuum vnius anni omnium beneficiorum quocumque modo vacantium, quando eorũ prouiſio pertinet ad Papam, quæ quidem dimidia Annata hodie ſubrogata eſt in locum illius redecimæ, quam olim Leuitæ de omnibus decimis ſummo Sacerdoti ſoluebant. Vnde minus grauantur Clerici huius temporis, quam antiquitus, vt docet *Thomas Campegius in tract. de Annatarum Inſtitut. c. 1. in princ.* qui reperitur inter Doctorum tractatus *to. 15. p. 2.*

Regula LVI.

De clauſulis in beneficiis vacantibus ponendis.

ITem voluit & ordinauit, quod quando prouidet, ſeu mandat proui-

prouideri alicui de beneficio Eccleſiaſtico vacante, tunc dari poterunt clauſulæ ſi petantur, etiam ſi illud quouis modo,&c. ſeu per Conſtitutionem *Execrabilis* vacet, ac ſpecialiter reſeruatum, inter aliquos litigioſum ſit, & eiuſdem collatio deuoluta fuerit, & ſi pro collitigante, vel ſubrogationem, aut Si neutri, vel Si nulli, &c. petente, ſi tunc lis ſpecificè exprimatur. Nec detur aliqua generalis reſeruatio diſpoſitiuè, niſi deſuper in conceſſione, ſpecialis & expreſſa, ac purè, & non ſub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reſeruationes ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis literarum, generalis reſeruatio huiuſmodi probari non poſſit, aut in nouis prouiſionibus, ſeu pro collitigantibus, ſi neutri, vel ſi nulli, &c. ſit expreſſum, quòd ab aliquibus aſſeritur illum cuius beneficium conceditur, Collectorem, vel vnicum Subcollectorem, Abbreuiatorem, ſeu familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuiſſe, clauſula ponatur,

tur, etiam ſi dictum beneficium ex eo quod talis Collector, vel vnicus Subcollector, Abbreuiator, vel familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis fuit, diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſeruatum exiſtat, dummodo non ſit in eo ſpecialiter alicui ius quæſitum. In reliquis vero nulla clauſula detur, vnde reſeruatio generalis elici poſſit, niſi deſuper ſignatura per duplex Fiat ſignata ſit, aut reſeruatio, vel alias ſpecialiter habeatur.

Notæ.

Hæc regula continet in ſumma formã ſupplicationis faciendæ, cum clauſulis in literis apponi ſolitis, quarum clauſularum materiam nunc tractare eſſet valde prolixum, & a noſtro inſtituto prorſus alienum: reperies tamen illam recte digeſtam apud Petrum rebuffum *in praxi beneficiali par. prima, tit. forma ſignaturæ ſimplicis prouiſionis.*

Regu-

Regula LVII.

De expreſſione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

ITem, voluit, quod ſuper beneficijs Eccleſiaſticis, de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, perſonatus, vel officia ſint, eiſq. immineat cura animarum, & ad illa conſueuerint aliqui per electionem aſſumi, mentio fiat: aliàs gratiæ deſuper factæ ſint nullæ. Et ſi qualitates huiuſmodi, affirmatiuè vel conditionaliter non exprimantur, negatiua expreſſe deſuper fiat, in beneficijs quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas conſueuerint habere.

Notæ.

Cum ſecundum qualitatem perſonarũ ſingulis ſint beneficia conferenda, ita vt maiores perſonæ beneficiis maioribus dotentur, iuxta *cap. de multa* 28. *in fin. de præb.* Idcirco in hac regula iubentur exprimi beneficiorum qualitates, & ſic eſt ampliatiua *c. cum in illis* 16. *de præben. in* 6.

Regu-

Regula LVIII.

De beneficijs vacantibus per contra-ctum Matrimonij.

ITem, ſi reſeruatur beneficium, per contractum matrimonij, nõ dentur alij modi vacationum de futuro, nec cenſeatur beneficium reſeruatum ſpecialiter vel affectum, niſi ſequatur matrimonium. Sed in beneficijs per promotionem, aut ingreſſum Religionis, vel aſſecutionem vacaturis, ponatur clauſula, etiam ſi non petatur, Cum beneficia huiuſmodi præmiſſo, vel aliàs quouis modo, &c. præterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiam ſi vacent.

Notæ.

Beneficium per manus Papæ appoſitionem remanet ipſi affectum, ita vt ſemel affectum ſemper duret affectum ad *cap. vt noſtrum de appellat. extrauag. ad Romani de præben. & dignit. inter communes*. hæc tamen regula excipit, ſi beneficium reſer-

uetur

uetur per contractum matrimonii vacaturum, niſi ſequatur matrimonium.

Ratio exceptionis fortaſſe fuit, ne alias daretur occaſio quod quilibet falſa relatione matrimonii non vere contrahendi, faceret reſeruari a Papa beneficia in fauorem ipſius.

Præterquam per obitum: ne alias is qui habet reſeruationem machinaretur mortem contra beneficii poſſeſſorem. notat *Rebuff. in addit. ad hanc regulam*, quæ apud ipſum eſt 68.

Regula LIX.

De clauſulis ponendis in literis Religioſorum.

ITem voluit, quod ſi petatur aliquem in Religioſum recipi, & ſibi de quouis beneficio Eccleſiaſtico prouideri, per ſimplicem ſignaturam fiat: Receptio huiuſmodi dumtaxat detur, adiecto, ſi petens idoneus ſit, aut aliud Canonicum non obſiſtat: & exprimatur ſi certus numerus Regularium ſit ibidem, cui etiam non derogetur, niſi expreſſe concedatur, & ſi numerus iſte non

exi-

exiſtat, ponatur, Dummodo receptionis locus huiuſmodi nimium propterea non grauetur. Poſſintq. executores prouiſionis huiuſmodi, ad receptionem emiſsionis profeſſionis, non expectato probationis anno, procedere.

Notæ.

Hæc regula continet formam literarũ expediendarum quando quis petit recipi in Religioſum alicuius Ordinis ſimul cum prouiſione beneficii in ipſo Monaſterio conſiſtentis, quam formam cum omnibus ſuis clauſulis ponit *Rebuff.in addit.ad hanc regulam*, quæ apud ipſum eſt 69.

Duntaxat: vt ſic præcludatur via ambitioſæ cupiditatis eorum qui vitæ religioſæ prætextu Monaſtica beneficia ſecreto ambiunt.

Regula LX.

De tranſlatione Religioſorum.

ITem, ſi regularis petat ſibi de beneficio ab aliquo Monaſterio, vel alio regulari loco dependente, proui-

prouideri, & appareat ex petitione huiuſmodi, quod alterius Monaſterij, vel loci religioſus ſit, licet ibi tranſlatio non petatur, nihilominus illa veniat.

Notæ.

De iure communi prohibentur adminiſtrari beneficia vnius Monaſterii, per Monachos alterius Monaſterii, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia *cap. cum ſingula officia* 32. *§. prohibemus. de præben. in ſexto.* hic tamen dicitur, quod ſi aliquis Regularis petat ſibi prouideri de beneficio ab aliquo Monaſterio dependente, & appareat ex petitione huiuſmodi quod talis impetrans ſit Regularis alterius Monaſterii, nihilominus tranſlatio de vno ad alterum conceſſa cenſeatur, licet expreſſe non petatur: in quo limitatur regula 51 *ſuper diſpenſationibus* de qua ſupra.

Regula LXI.

De clauſula, ſi eſt ita.

ITem, quod in literis ſuper beneficijs, per conſtitutionem *Execrabilis* vacantibus, ponatur clauſula,

ſula, ſi eſt ita; ſimiliter de quibuſcumque narratis informationem facti requirentibus.

Notæ.

Execrabilis: de hac Conſtitutione fuit facta mentio ſupra in regula prima; quam reperies in calce huius opuſculi.

Clauſula, ſi eſt ita: fundatur in *cap. 2. de reſcript.* vbi *in §. verum* dicitur hanc clauſulam ſemper ſub intelligi, etiamſi in literis non apponatur: cur autem hic expreſſe poni iubeatur, deducitur ex ratione *l. vltima C. de indict. viduitate tollen.* circa *princ.* ibi, *ne tamen quædam ambiguitas ſimplices animos moueat, etiam expreſſim ſancimus, &c.*

Regula LXII.

Petenti prouideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti.

ITem, petenti ſibi prouideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Notæ.

Fundatur in *cap. 2. de conceſſ. præbendæ.*

Regu-

Regula LXIII.

Reuocatio Decimarum, & aliarum impoſitionum.

ITem, reuocauit quaſcumque decimarum (non tamen nuper pro defenſione fidei Catholicæ in Germania contra Hæreticos & Imperij rebelles impoſitarum, ſub Dat. idib. Ianuarij anno quintodecimo Pontificatus eiuſdem Pauli prædeceſſoris ſui) nec non ſubſidiorum, vigeſimæ, & aliorum onerum impoſitiones, quæ à prædicto Paulo V. Prædeceſſore ſuo ex quauis cauſa etiam in ſubſidium expeditionis contra Turchas, & orthodoxæ fidei hoſtes emanarunt, & quaſcumque facultates ſuper decimarum, vigeſimæ, & onerum huiuſmodi exactione, quibuſuis fructuum, & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, & Apoſtolicæ Sedis Nuncijs ab eodem Prædeceſſore conceſſas. Suſpendit quoque ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apoſtolicæ bene-

placi-

placitum, quaſcumque plenarias Indulgentias, ab eiſdem Prædeceſſoribus ex quauis cauſa etiam expeditionis huiuſmodi conceſſas, ſi quæ per Nuncios, vel Quæſtores deferebatur. Nec non deputandi & eligendi confeſſores qui plenarie abſoluant, & alia faciant ad earundem Indulgentiarum ſuſpenſarum effectum, reliquaſq. facultates, ipſas Indulgentias quomodolibet concernẽtes, præterquam quo ad ea in quibus Indulgentiæ & facultates in aliqua ſui parte ſint ſortitæ effectum. Itaut illis, qui implentes iniuncta eis in literis Indulgentiarum huiuſmodi, iam conſequuti ſunt facultatem eligendi confeſſores, qui abſoluant eos plenariè in mortis articulo, per huiuſmodi ſuſpenſionem non præiudicetur, quin facultate ipſa vti poſsint in futurum. Decreuit quoque irritum & inane, quicquid facultatum reuocatarum earumdem prætextu, in poſterum contigerit attentari.

Notæ.

Ratio huius tam generalis reuocationis eo tendit, vt denuo gratiæ petantur a nouo Pontifice, nam ſic reiteratur obedientia Sedi Apoſtolicæ debita.

Non tamen: hæc verba vſque ad verſ. *necnon ſubſidiorum* ſunt de nouo addita. a Sanctiſſ.D.N.Greg.XV.quia in antiquis regulis non reperiuntur.

Sub Datum idibus Ianuarij: literas indictionis prædictarum Decimarum reperies in calce huius opuſculi.

Regula LXIV.

Reuocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

ITem, reuocauit caſſauit, & annullauit, ac irritas declarauit quaſcumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium, in toto vel in parte, ac quaſuis conceſſiones, & collationes, aliaſq. diſpoſitiones per fel. rec. Paulum Prædeceſſorem ſuum de dictis officijs, etiã ex die collationum, conceſsionum, & di-

& diſpoſitionum earumdem in antea vacaturis, in fauorem quarumcumque perſonarum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, piorum locorum, Collegiorum, ſeu eorum menſarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroſo, & ſub alia quauis verborum forma, quam; & præmiſſorum tenores pro expreſſis haberi voluit, conceſſas & factas, quo ad officia quæ per obitum ipſius Prædeceſſoris vacarunt, & in poſterum quomodolibet vacabunt. Reuocauit quoque, caſſauit, & annullauit, ac irritas declarauit quaſcumque infeudationes, inueſtituras, gratias, conceſsiones quoquomodo, etiam, Motuproprio, & de plenitudine poteſtatis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, (extra tamen Conſiſtorium, & ſine S. R. E. Cardinalium conſilio & conſenſu) à die cõſtitutionis fel. rec. Pij Papæ V. Prædeceſſoris ſui ſuper prohibitione alienandi, & infeudandi Ciuitates, & loca S. R. E. ſub Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incar-

nationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, quarto Calend. Aprilis, Pontificatus ſui Anno Secundo, vſque in præſentem diem, per quoſcumque Romanos Pontifices ſuos Prædeceſſores, aut mandato vel auctoritate eorum, quomodocumque ac qualitercumque, & quouis colore factas & conceſſas, de Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, Arcibus, & locis S.R.E. & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & tam mediate quam immediate ſubiectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, inueſtiturarum, gratiarum, & conceſſionum nondum deuolutis. Nec non quaſcumque prorogationes, & extenſiones quarumcumque infeudationum, inueſtiturarum, gratiarum, & conceſſionum de dictis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, Arcibus, & locis, tunc, videlicet de tempore dictarum prorogationum & extenſionum nondum finitarum, quibuſuis perſonis cuiuſcumque gradus, ſtatus, & conditionis, ac præheminentiæ, etiã

ſi Im-

ſi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quauis perfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo etiam oneroſo, & per quaſcumque tam ſum plumbo, quàm in forma breuis ſub Annulo Piſcatoris, aut etiam aliàs quomodocumque & qualitercumque expeditas literas, ac ſub quauis verborum forma, quam et præmiſſorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expreſſis haberi voluit, latiſſime extendendos.

Notæ.

Ratio reuocationis de qua in prima parte huius regulæ, fuit eadem quam in præcedenti regula diximus.

Reuocauit quoque: hæc eſt ſecunda pars in qua reiteratur extenſio iam facta ab Innocentio Nono. *conſtit.* 1. *in Bullario nouo to.* 2. *fol.* 713. Cõſtitutionis Pij V. *de non alienandis aut in feudandis Ciuitatibus, & locis S.R.E.* quæ eſt 35. in ordine *eo. tom.* 2. *fol.* 221. cuius tenorem reperies in calce huius opuſculi.

Hanc quidem Pii Quinti. Conſtitutionem omnes ſucceſſores vſque in præſens tempus confirmarunt, vt notat *Laertius*

Cherubinus in Summario illius Conſtitutionis, in qua ordinatur ſic ab omnibus in perpetuum fieri debere, vt apparet in §.9. *verſ. præterea*, his verbis, *Præterea quod ipſi Cardinales occurrente Apoſtolicæ Sedis vacatione, in conclaui quando de obſeruandis literis Iulij Papæ Secundi Prædeceſſoris noſtri ſuper electione Romani Põtificis, & alijs Conſtitutionibus iuramentũ præſtare ſolent, etiam de inuiolabiliter obſeruanda præſenti Conſtitutione noſtra, per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſtmodum idem ad ſummi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt eius aſſumptionem hoc ipſum promittere ac iurare, & deinde poſt coronationem ſuam promiſſionem & iuramentum huiuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterare debeat, &c.*

Regula LXV.

Quòd fructus in Tertia parte augeri poſſint vigore clauſulæ.

ITem, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, aſſerendo illorum fructus, &c. certum

per

per eos expreſſum annuum valorem non excedere, nonnumquam obtineant à Sanctitate Sua, vt huiuſmodi valorem annuum augere poſſint, vt verius poſſit in confectione literarum ſuper huiuſmodi impetrationibus ſumma, ac valor ipſe annuus exprimi, aliter deſuper non ſpecificato, ne de virtute huiuſmodi conceſſionis in poſterum hæſitari contingat, Declarauit, prætextu conceſsionis huiuſmodi, valorem ipſum vſque ad Tertiam partem valoris expreſsi, & in prima quæ deſuper fiet literarum expeditione dumtaxat augeri poſſe, & eas quas, literis iam expeditis cum expreſsione valoris ſpecificati, aut non integro augmento prædicto, denuo deſuper expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris huiuſmodi, nullius eſſe roboris vel momenti, etiam ſi Motuproprio beneficiales gratiæ, & diſpoſitiones quæcumque a Sanctitate ſua emanarent.

Notæ.

In impetratione cuiuſcumque beneficii ſolet hodie in fine ſupplicationis hæc clauſula apponi, *& quod præmiſſorum omnium &c. fructus etiam augendo vel minuendo, &c. maior & vrior ſpecificatio fieri poſſit in literis, &c.*

Quæ quidem clauſula illud operatur, vt impetrãs poſſit tempore expeditionis literarum in Cancellaria augere fructus quos in ſupplicatione non recte expreſſit, ſed non plus quam vſque ad tertiam partem dictorum fructuum.

Nota tamen, quod de æquitate & de ſtylo Rotæ antiquiſſimo admiſſum eſt, quod licet expreſſio valoris ſit minor ſexta parte quam fieri debuit poſt augmentũ dictæ tertiæ partis, valida tamen habeatur, nec regulæ 55. *de exprimendo valore.* ſit locus quando Camera ſolum læditur in dicta ſexta parte, teſte *Mandoſ. de literis gratiæ in cap.* 1. *verb. prouiſiones verſ. Rota ſtylus.* vbi eam reddit rationem dict. ſtyli, quia ſexta pars dicitur modica ſeu parua quantitas, & allegat *Bart. in l. ſi Societatem. §. arbitrorum nu.* 25. *ff. pro ſocio.*

Regu-

Regula LXVI.

De inſordeſcentibus.

ITem, ne perſonis pro quibus literæ Suę Sanctitatis emanabunt, ob generalem abſolutionem à cenſuris eccleſiaſticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apoſtolicis apponi ſolita, præſtetur occaſio cenſuras ipſas vilipendendi, & inſordeſcendi in illis, ſtatuit & ordinauit, huiuſmodi abſolutionem & clauſulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget, non ſuffragari non parentibus rei iudicatæ, incendiarijs, violatoribus Eccleſiarum, falſificatoribus & falſificari procurantibus literas & ſupplicationes Apoſtolicas, & illis vtentibus, receptatoribus & fautoribus eorũ, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis, via facti, auſu temerario, Apoſtolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel executo-

res, Apoſtolicæ Sedis, & eius Officialium, eius commiſſa exequentes, impedientibus, qui propter præmiſſa, vel aliquod eorum excommunicati à iure vel ab homine, per quatuor menſes, ſcienter excommunicationis ſententiam huiuſmodi ſuſtinuerint, & generaliter quibuſcumque alijs, qui cenſuris aliquibus, etiã alias quam vt præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum inſorduerint.

Notæ.

Collatio beneficii facta excommunicato eſt ipſo iure nulla. *c. poſtulaſtis de Cleric. excom. adminiſtrante*, ſicut quodcumque aliud reſcriptum ab ipſo excommunicato impetratum, niſi ſuper articulo excommunicationis vel appellationis impetretur *cap. 1. de reſcript. in ſexto.*

Hodie tamen de ſtylo, quoties a Papa literæ aliquæ impetrantur, ſolet ſimul concedi abſolutio ab excommunicatione ad effectum validitatis literarum, prout praxis quotidiana docet, & refert *Felin. in cap. ad Apoſtolica in princ. de exceptionibus.*

Ne

Ne autem ex hac tam facili abſolutionis conceſſione præſtaretur occaſio cenſuras ipſas vilipendendi,(vt noſtra regula dicit) excipiuntur a beneficio abſolutionis prædictæ, omnes illi, qui commiſerint delicta hic expreſſa, & per quatuor menſes ſuſtinuerint excommunicationē propter ipſa incurſam: excipiuntur præterea alii omnes, qui ex alia quauis cauſa cenſuris aliquibus innodati per annum continuum inſorduerint, hoc eſt abſolutionem non petierint.

Apponi ſolita: Hæc videlicet, *teque a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. eccleſiaſticis ſentētijs, cenſuris, & poenis a iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, &c.*

Non parentibus rei iudicatæ &c. hi ſunt quibus noluit regula noſtra ſuffragari prædictam abſolutionis clauſulam: ratio ſpecialitatis potuit eſſe ab maiorem horum criminum deteſtationem, ideo enim quotannis excommunicantur a Papa in Bulla Coenæ Domini qui talia commiſerint crimina, prout apparet ex *Conſtitutione recol.mem.Pauli Quinti.63. in Bullario nouo tom.3.fol.251.*

Regula LXVII.

Officiales nihil exigant vltra debitum.

ITem, idem D. N. exactionibus quas Sanctitas ſua, non ſine diſplicentia, plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ; qui conſtitutis ſibi emolumentis pro exercitio Officiorum quæ obtinent non contenti, vltra, à proſequentibus negociorum quorumdam expeditionem in eadem, exigere non verentur, obuiare volens, districte præcipiendo inhibuit, omnibus & ſingulis quæuis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam, prætextu Officiorum quæ obtinēt, quouis colore, etiam celerioris expeditionis, vltra emolumenta huiuſmodi exigere, ſeu ad hunc effectum expeditionem eorum quæ eis incumbunt, malitioſe differre, ſub excommunicationis, & præter illam ſuſpenſionis à perceptione emolumentorum huiuſmodi pro

prima

prima ad ſemeſtre, & pro ſecunda ad annum, & pro tertia vicibus quibus ſic excederent, priuationis officiorum per eos obtentorum, in quibus ſic exceſſerint, pœnis. Ac voluit, quòd Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius & Camerarius, excedentes ipſos reſpectiue prout eis ſubſunt, per ſubtractionem emolumentorum eorundem, ac aliàs, vt præmittitur, compellant ab huiuſmodi illicitis exactionibus abſtinere, & contra eos per prædictas pœnas, & aliàs prout melius expedire viderint, procedant.

Notæ.

Conſtitutis ſibi emolumentis: prout late apparet ex noua reformatione Tribunalium Almæ Vrbis & eius Officialium, facta per re. me. Paulum Quintum, in Conſtitutione 71. quæ eſt in *Bullario nouo tom. 3. fol.* 264. incipit *Vniuerſi agri Dominici*.

Ne de cætero quicquam: & ſic vltra emolumenta prædicta nihil exigere poſſunt, etiam poculentum vel eſculentum, etiam gratis oblatum, etiam tam paruum

quod

quod paucis diebus conſumi poſſit, propter illud verbum, *quicquam* quod de ſui natura nihil excipit *cap. ſolitæ 6. in fin. de maior. & obed.* licet alias de iure ſit licitum accipere poculenta, & eſculenta, *cap. Statutum 11. §. Inſuper de reſcrip. in 6.*

Regula LXVIII.

Quòd Cardinales non comprehendantur ſub regulis facien.

ITem, cum S.R.E. Cardinales ipſi Sanctiſſimo D. N. aſſiſtant, ac propterea debeant ſpecialibus prærogatiuis & priuilegijs gaudere, idẽ D.N. ſtatuit, ordinauit, decreuit, & declarauit, quòd in quibuſcumque Cõſtitutionibus & Regulis per Sanctitatem ſuam in poſterum, poſt hanc primam editionem, & ſuarum Conſtitutionum & regularum publicationem faciendis, non includantur ipſi Cardinales, niſi illæ eorumdem Cardinalium fauorem concernant, vel ipſæ Conſtitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel maioris partis eorum conſilio, editæ fuerint.

Notæ.

Notæ.

Ac propterea debeant : facit *l. vnica in fin. C. de præpoſ. laborum lib.* 12. ibi, *nam & immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat, &c.*

In poſterum : vnde a contrario ſenſu comprahenduntur Cardinales in ſupradictis regulis, quia hæc regula eos non excipit niſi a regulis poſt hanc primam editionem in poſterum faciendis. *Mohed.* in terminis *deciſ.* 23. *in fine de renunciat. Caſſad. deciſ.* 38 *ſuper reg.*

Regula LXIX.

De poteſtate Reuerendiſſimi Domini Vicecancellarij, & Cancellariam Regentis.

PRimo, quod poſsit committere abſolutionem illorum, qui ignoranter in ſupplicationibus vel in literis Apoſtolicis, aliquid ſcriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod poſsit corrigere nomina, & cognomina perſonarum, non tamen eorum quibus gratiæ, & conceſsiones fiunt, ac beneficiorum, dum

dum tamen de corpore conſtet.

Item, quod poſsit omnes cauſas beneficiales etiam non deuolutas committere in Curia, cum poteſtate citandi ad partes.

Item, quod proceſſus Apoſtolica auctoritate decretos aggrauare poſſit, cum inuocatione brachij ſecularis, & ſententias executioni demandari facere contra intruſos, & intruendos per literas Apoſtolicas deſuper conficiendas, & non alias.

Item, quòd poſsit ſignare ſupplicationes manibus duorum Referendariorum ſignatas, de beneficijs eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus, diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter non reſeruatis, quorum cuiuſlibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. paruorum, ſeu totidem in alia moneta ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedat.

Item, quod poſsit ſignare ſupplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus ſignatas, de nouis

uis prouiſionibus, ſi neutri, & ſubrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clauſula generalem reſeruationem importans.

Item, quod poſsit ad ordines ſuſcipiendos arctatis, prorogare terminos de dictis ſuſcipiendis ordinibus, vſque ad proxima tunc à iure ſtatuta tempora, in quibus ſic arctati ſucceſsiue ad ipſos ordines promoueantur.

Notæ.

Cancellariæ Officium habet Præpoſitũ Cardinalem qui Vicecãcellarius dicitur. Nam ſolus Papa eſt Cancellarius in Eccleſia Dei, ſic dictus quia reſcripta, priuilegia, & alia antequam ſigillo muniantur corrigit & cancellat. Vnde qui eius vices in illo officio exercet Vicecancellarius dicitur. Is præeſt expeditionibus totius orbis in rebus eccleſiaſticis, & Officialibus dicti officii, veluti Abbreuiatoribus Parci maioris & minoris, Taxatoribus, Sollicitatoribus qui & Iannizeri dicuntur, & aliis quamplurimis relatis a *Lælio Zecchio de Republica Eccleſiaſt. cap. 4. de Vicecancellario,* & *Octauiano Veſtrio in*

prax.

*prax.lib.*1. *cap.*4. & ibi *Grauat. in prima annotatione* qui alios citat.

Huic auté officio Vicecancellarii propter ſui eminentiam multa a Summis Pontificibus ſunt conceſſa, veluti a Clemente Septimo, *Conſtit.*34. *in Bullario nouo to.*1. *fol.*602. & a Martino Quinto, *Conſtitutione tertia dicto* 1. *to. fol.*250. & a Sixto V. *Conſtitutione prima in appendice dicti Bullarij fol.*39. & aliis.

In hac vero regula receſentur ea quæ ipſius iuriſcictionem concernunt, maxime in his quæ ad materiam expeditionis ſpectant, vt ſic facile omnibus innoteſcerent per has regulas, quæ quidem propter earum breuitatem non eſt difficile, vt per manus a quolibet circumferantur cum his noſtris annotationibus, quibus hic finem pro nunc imponere duximus dum his regulis competentem dotem, ſelectoribus Sacræ Romanæ Rotæ Deciſionibus ornatam edere paramus.

Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Beatæq. Virginis Mariæ Dei Genitricis, ac Sancti Dominici, & Beati Ignatii de Loyola Fundatoris Societatis IESV Patronorum meorum.

Sex

Sex Conſtitutiones, de quibus in his Regulis mentio fit.

De hac Conſtitutione fit mentio in regula prima, & habetur inter extrauagantes communes ſub tit. de præbend & dignit. cap. 13.

BENEDICTVS XII.

AD regimen eccleſiæ generalis quamquam immeriti ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſiderijs, vt debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum, & Monaſteriorum regimina, & alia beneficia eccleſiaſtica iuxta diuinum beneplacitum, & noſtræ intentionis effectum, viri aſſumãtur idonei qui præſint, & proſint committendis eis eccleſijs, monaſterijs, & beneficijs prælibatis. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis alijs rationalibus cauſis, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigijs inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, & etiã Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus

natus, & officia, necnon Canonicatus & præbendas, & eccleſias, cæteraq. beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, ſæcularia & regularia, quæcumque, & qualiacumque fuerint, etiam ſi ad illa perſonæ conſueuerint ſeu debuerint per electionem ſeu quemuis alium modum aſſumi, nunc apud ſedem Apoſtolicam quocumque modo vacantia, & in poſterum vacatura, necnon per depoſitionem, vel priuationem, ſeu tranſlationem, aut muneris conſecrationis ſuſpenſionem, per felicis recordation. Io. Papæ. XXII. præd. no. ſeu eius auctoritate factas, & per nos ſeu auctoritate noſtra in antea faciendas vbilibet; Necnon ſi forſan tempore iam dicti prædeceſſoris aliqui in concordia vel diſcordia electi, vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa per ipſum prædeceſſorem, vel auctoritate ipſius extiterint, ſeu quorum electorum, vel poſtulatorum, & in antea eligendorum ſeu poſtulandorum ac renunciantium electionem caſſari, vel poſtulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos, vel auctoritate noſtra contingeret apud ſedem prædictam, vel alibi vbicumque. Ac etiam per obitum Cardinalium eiuſdem Eccleſiaſt. Roman. ac officialium dictæ ſedis: videlicet Ca-

merarij

merarij, Vicecancellarij, notariorum, Auditorum literarum contradictarum, & apoſtolici palatij cauſarum Auditorum Correctorum & ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, ac Poenitentiarij præfatæ ſedis, ac Abbreuiatorum, necnon commenſalium, & aliorum quorumlibet capellanorum ſedis eiuſdem, & etiã quorumcumque legatorum ſiue nunciorum, ac in terris Eccleſiæ Romanæ rectorum, & Theſaurariorum per dictum Ioan. prædeceſſorem, vel nos ſpecialiter deputatorum ſeu miſſorum hactenus, vel a nobis deputandorum aut mittendorũ, in poſterum, nunc vacantia & in antea vacatura vbicumque dictos legatos, vel nuncios, ſeu rectores aut theſaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis. Necnon quorumlibet pro quibuſcumque negocijs ad Romanam curiã venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis a dicta curia vltra duas dietas legales non diſtantibus iam forſan obierint, vel eos in antea tranſire contigerit de hac luce. Ac etiam ſimili modo, quorumcumque curialium peregrinatio-nationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quacumque cauſa ad quæuis loca ſecedentium: ſi eos antequam ad dictam curiam redierint, in locis vltra duas

duas dietas ab eadem curia (vt præmittitur) non remotis, dummodo eorum proprium domicilium nõ exiſtat ibidem, iam forſitan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſubmoueri. nunc per obitum huiuſmodi vacantia, & in poſterum vacatura. Rurſus monaſteria, prioratus, decanatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus, præbendas, & eccleſias cæteraq. beneficia eccleſiaſtica, ſæcularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiam ſi ad illa perſonæ conſueuerint, & debuerint per electionem, aut quemuis alium modum aſſumi, quæ promoti per dictum prædeceſſorem, vel eius auctoritate ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium eccleſiarum, necnon Monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum nunc vacantia: Et qui per nos ſeu auctoritate noſtra in poſterum ad eadem regimina promouendi tempore promotionis huiuſmodi obtinebunt. Necnon etiam, quæ per aſſecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum & præbendarum eccleſiarum, & beneficiorum aliorum per nos, vel eundem Ioan. prædeceſſorem, ſeu auctoritate litterarum noſtrarum, vel ip-
ſius

ſius Ioan. prædeceſſoris collatorum, & conferendorum in poſterum, nunc vacantia & in antea vacatura (plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta) ordinationi, diſpoſitioni, & prouiſioni noſtræ (donec miſerationis diuinæ clementia nos vniuerſalis eccleſiæ regimini præſidere conceſſerit) de ipſorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica reſeruamus: decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis, & quolibet eorum per quoſcumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis, quatenus obſiſtere poſſent ſuper enarratis articulis, vel alicui ſiue aliquibus eorumdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſeruationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinion. 3. Idus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo. MCCCXXXV.

De

De hac Conſtitutione ſit mentio in Regula prima & in Regula 56. et 61. & habetur inter extrauagantes Ioan. 22. ſubtit. de præben. & dignit. cap. vnico. *& iterum inter extrauagantes communes ſub eodem tit.* c. 4.

IOANNES XXII.

Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXecrabilis quorumdam tam religioſorum quam ſæculariū ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eo magis inſatiabilis créditur, quo ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium a nobis, & prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontif. non tam obtinuiſſe, quā extorſiſſe plerumq. noſcūtur vt vnus interdum etiā ad vnum beneficium eccleſiaſticum minus idoneus, in diuerſis eccleſijs nedum vicinis, ſed ab inuicem longe diſtantibus, immo nonnumquam in diuerſorū regnorum partibus ſituatis, plures quam duas vel tres, aut plures etiam dignitates, vel perſonatus, officia, ſeu prioratus, aut diuerſa eccleſiaſtica beneficia curam animarum habentia poſſit diſpenſatiue, cum alias non liceret de iure communi reci-

recipere, & ſimul licite retinere. Vnde inter cætera inconuenientia infra ſcripta naſcuntur, quòd videlicet interdum vnus, qui vnum quamuis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicat ſtipendia: quæ multis literatis viris vitæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abundè ſufficere, æqua diſtributione collata. Habentibus ipſa paratur vagādi materia, diuini cultus minuuntur, hoſpitalitas in ipſis beneficijs debita non ſeruatur: & dum non ſunt ſui in vnaquaque regione rectores, eccleſiarum detrahitur commodis & honori: quæ carentes defenſorum auxilio in iuribus ſuis & libertatibus multipliciter collabuntur: ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum: Et (quod amariùs eſt dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculosè præbetur. Nos itaque tot malis tantiſque diſcriminibus occurrere cupientes: omnes & ſingulas diſpenſationes ſuper receptione ac retentione plurium dignitatum, perſonatuum, officiorum, prioratuum, aut beneficiorum, quibus cura ſit animarum annexa, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum à nobis, vel dictis prædeceſſoribus noſtris cuicunque perſonæ conceſſas (Cardinalibus tamen

ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui circa nos vniuerſali eccleſiæ ſeruiendo ſingularum eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt; ac Regum filijs, qui propter ſublimitatem eorum ac generis claritatem ſunt potioris prærogatiua gratiæ attollendi, duntaxat exceptis) deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris habita diligenti: de ipſorum conſilio & ex certa noſtra ſcientia in forma ſubſcripta duximus taliter moderandas, quòd per moderamen noſtrum effrenatam circa eaſdem perſonas talium beneficiorum multitudinem, refrenemus, ipſique impetrantes fructu diſpenſationum huiuſmodi totaliter non fruſtrentur. Statuimus itaque, & de fratrum noſtrorum conſilio ordinamus, quòd obtinentes nunc ex diſpenſatione legitima pluralitatem huiuſmodi dignitatum, perſonatuum, officiorum, aut prioratuum ſeu beneficiorum, quæ aliàs abſque alia diſpenſatione legitima obtinere nequibāt, vnum tantum ex dignitatibus, perſonatibus, officijs, prioratibus, eccleſijs vel beneficijs huiuſmodi, quibus cura immineat animarum, cum dignitate, perſonatu, vel officio, prioratu, eccleſia vel beneficio ſine cura, quæ habere maluerint prætextu diſpenſationis ſufficientis circa id eiſdem indultæ poſſint licitè retinere: quæ tamen teneantur eligere intra menſem

ſem numerandum à tempore notitiæ conſtitutionis iſtius. Cæteris beneficijs cum cura vel ſine cura, quæ ipſius diſpenſationis prætextu tenebant, & quæ aliter ante non poterant de iure abſque diſpenſatione aliqua licite retinere, quæ nos ex tunc vacare decernimus, coram ordinarijs ſub teſtimonio publico intra idem tempus verbaliter vel realiter cum effectu dimiſſis: abſque eo, quod ad illa nunquam ſine noua collatione ab eo, qui facere poterit facienda redire, aut eorum adminiſtrationi ſe immiſcere præſumant. Alioquin tam his, quam alijs omnibus beneficijs, quæ virtute huiuſmodi noſtri moderaminis retinere poterant, vt præfertur, ſint ipſo iure priuati, & prorſus inhabiles ad ſimilia beneficia obtinenda. Per hoc autem ijs, qui dignitates, perſonatus, officia, prioratus, vel alia beneficia curam animarum habentia ex diſpenſatione, quæ ius tribuat iuxta noſtram moderationem præſcriptam obtinent, & alia ſimilia beneficia noſtrarum vel eorundem prædeceſſorum auctoritate literarum expectant, cum quibus eſt, vt illa cum vacauerint recipere, & vna cum obtentis retinere licite valeant diſpenſatum: nolumus derogari, quin ea cum vacauerint, intra dicti temporis ſpacium poſſint eligere, & dimiſſis alijs recipere

 in for-

in forma præſcripta,ac licite retinere : pœnas ſimiles incurſuri,ſi huiuſmodi noſtræ contraire præſumpſerint ſanctioni. Porrò quia quorundam oculos ſic auaræ cupiditatis vitium excæcauit, quòd plura talia beneficia ſimul abſque diſpenſatione canonica retinere præſumunt: nos de illis præſenti decreto ſtatuimus,vt omnia & ſingula beneficia ſic detenta (illo tamen retento, quod vltimo receperunt, dummodo in eo ex collatione canonica competat ius eiſdem) intra tempus, vt præſcribitur, limitatum, verbo & facto ac ſine fraude, coram ordinarijs ſub teſtimonio ſimiliter publico dimittere teneantur. Quod ſi non fecerint, & illo ſint ipſo iure priuati, in quo ius eis alias competebat,& inhabiles penitus ad quæcumque obtinẽda eccleſiaſtica beneficia cenſeantur. Qui vero deinceps receperint dignitatem vel perſonatum, ſeu officium, aut aliud beneficium, curam animarum habens annexam: ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud quo ipſo iure (poſtquam ſecundi poſſeſſionem habuerint, vel per eos omni dolo, & fraude ceſſantibus, quo minus habeant,ſteterit) priuati noſcuntur, abſque moræ diſpendio in ordinariorum manibus dimittere debeant, pari modo: Alioquin ex tunc ſint ipſo iure ſecũdo priuati, & nedum

dum ad ſacros ſuſcipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcumque aliud eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputentur. Quæ omnia & ſingula beneficia vacatura, vt præmittitur, vel dimiſſa noſtræ & ſedis Apoſtolicæ diſpoſitioni, de ipſorum fratrum conſilio reſeruamus: Inhibentes, ne quis præter Rom. Pont. quacumque ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de huiuſmodi beneficijs diſponere, vel circa illa per medium permutationis, vel alias innouare hoc quoquo modo præſumat. Nos enim ſi ſecus actum, ſeu attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Cæterum ordinarios intelligimus in caſibus ſupraſcriptis Epiſcopos, in quorum ciuitatibus, vel dioeceſibus conſiſtunt beneficia, ſeu aliquod eorum, quæ debent ſecundum præmiſſa dimitti, aut ipſi, qui ea debent dimittere, commorantur; vel eccleſijs cathedralibus vacantibus capitula earundem. Et hi de beneficijs, tam dimiſſis, quam (vt præmittitur) perditis nos vel Apoſtolicam ſedem certificare ſtudeant quamprimum commode poterunt indilate, vt de illis ſalubriter diſponere valeamus. Quantum autem ad modificationem perſonatuum attinet ante factam, illa duntaxat, & non alia beneficia eccleſiaſtica quocumque nomine nuncupentur, curam habere cenſemus,

quæ parochias habent, in quibus eſt animarum cura annexa, non per vicarios perpetuos, ſed per rectores, aut miniſtros beneficiorum ipſorum, vel illorum temporales vicarios exercenda. Necnon etiam illa, quorum miniſtris ratione beneficiorum huiuſmodi competit viſitare, inquirere, procurationes recipere, ſuſpendere, excommunicare, ſeu ab excommunicationis & ſuſpéſionis ſententijs abſoluere de conſuetudine, vel de iure, iuribus alijs de animarũ cura loquentibus in ſuo robore, quo ad cætera permanſuris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã noſtrorũ moderationis ſtatutorũ, conſtitutionum, reſeruationis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinioni, Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

De hac Conſtitutione ſit mentio in regula vigeſima tertia, & habetur inter extrauagantes communes, ſub titulo de regularibus et tranſeuntibus ad religionem cap. 1.

MARTINVS IV.

VIam ambitioſæ cupiditatis religioſis, potiſſime mendicantibus, præcludere cupientes: ad alios ordines præſertim monaſticos (fucatis tamen coloribus aſſerentibus ob frugem melioris vitæ aut arctioris obſeruantiæ) tam ſancti Benedicti, quam Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Vallis vmbroſæ, Canonicorum regularium ſancti Auguſtini, vel aliorum monaſticorum ordinum conuolare nitentibus, licentiam a ſede Apoſtolica ſeu legatis aut nuncijs eiuſdem ſedis ad transferendum ſe de mendicantium ordinibus ad alios ordines, præſertim ea ratione (vt veriſimile eſt, prout facti euidentia docet) vt liberius degant, dignitateſq. & beneficia monaſtica conſequi valeant, & ex certis alijs cauſis honeſtati non conſonis obtinentibus. Ac volentes etiam conſeruationi Ordinum Mendicantium prouidere: auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia, tenore præſentium declaramus

& etiam decernimus: ſtatuentes, quod de cætero nullus religioſus Ordinum Mendicantium quorumcumque, cuiuſcũque gradus, ſtatus, conditionis, vel religionis exiſtat, quantumcumque & qualitercumque poſſit & debeat, virtute cuiuſcumque licentiæ etiam indulti Apoſtolici ſeu poenitentiarij noſtri curam gerentis, vel alia quauis auctoritate hactenus, etiam per literas Apoſtolicas facultatum quarumnis tam Legatorum vel Nunciorum ſedis Apoſtolicæ, quam alia auctoritate, maxime de transferendis fratribus, aut aliquibus præſertim Ordinum Mendicantium, profeſſoribus in genere vel in ſpecie ab Ordinibus huiuſmodi Mendicantium, ſub quacumque verborum forma appareant, admitti aut recipi: per aliquos etiam ſuperioris Ordinis, ſeu Monaſterij, aut loci monaſtici, ſeu alias in monachum vel in fratrem alicuius ex Ordinibus Monaſticis ſupradictis vel alijs expreſſis (Ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto) ſub poena excommunicationis, quam tam recipientes, quam recepti ipſo facto incurrunt. Et quam exnunc prout extunc contra quemlibet tranſgreſſorem quomodolibet in præmiſſis, ſcientia & auctoritate antefatis proferimus in his ſcriptis. Et a nemine, niſi dumtaxat a Rom. Pontif. (præterquam in mortis articulo) excommuni-

municati huiuſmodi poſſint abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere. Et nihilominus ſecus facta non teneant, & nullius exiſtant efficaciæ vel momenti. Decernentes etiam & volentes, quod ſi quis hactenus virtute cuiuſuis licentiæ ſeu mandati huiuſmodi fuiſſet receptus ad aliquem Monaſticum Ordinem, & habitum conſuetum geſtari per Monachos talis Ordinis ſuſcepiſſet, ſiue profeſſionem emiſerit ſiue non, ſub dicta poena teneatur in monaſterio, in quo receptus fuerit (etiam ſi beneficia eccleſiaſtica ſeu rectorias eccleſiarũ quarumuis obtineat) ſtare in eius totali ordinatione, & in huiuſmodi ordine monaſtico altiſſimo deſeruire. Si quis autem prætextu huiuſmodi licentiæ vel ſine habitu vel cum habitu vagando incederet, monitione præuia teneatur & debeat intra terminũ xv. dierum à die monitionis huiuſmodi computandorũ ad eius religionem vel ordinem, vnde cum licentia vel ſine licentia receſſerat, remeare. Quod ſi efficere neglexerit, poſt ipſum terminum tanquam notorius apoſtata excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & ab omnibus retractari, etiam per inuocationẽ auxilij brachij ſecularis, quoties fuerit opportunum. In futuris autem nullus ex profeſſoribus ali-

cuius ex ordinibus Mendicantium huiuſmodi in aliquem monaſticum ordinem (Carthuſienſium duntaxat excepto) poſſit aut debeat per quemcũque recipi vel admitti virtute alicuius licentiæ vel indulti, abſque ſedis huiuſmodi licentia ſpeciali ſub dictis poenis, & nihilominus ſecus facta non teneant ipſo iure. Huiuſmodi licentijs & indultis, necnon conſtitutionibus apoſtolicis, & Mendicantium ordinũ prædictorum, etiam ſi de illis ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habita foret, & alijs contrarijs nõ obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, ſtatuti, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Seben. 4. Kalen. Aug. Pontificatus noſtri anno primo.

De hac Conſtitutione ſit mentio in Regula vigeſima quarta, & habetur in Bullario nouo, *vbi eſt ſeptima in ordine* tom. 1. fol. 319.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

CVm ex ſacrorum ordinum collatione, character inuiſibilis animæ imprimatur, ſacra myſteria diſpenſentur, & ipſarum cura tribuatur animarum; in eorum ſuſceptione, exceſſus graues, tanto magis plectendi ſunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium ſcandala generantur.

§. 1. Cum itaque (ſicut dignorum relatione, non niſi moleſte accepimus) nonnulli clerici, extra tempora à iure ſtatuta; quidam ante ætatem legitimam; aliqui vero ſine dimiſſorijs literis, contra ſanctiones canonicas, ſe faciunt ad ſacros ordines promoueri.

§. 2. Nos eorundem temeritatem, tali caſtigatione reprimentes, vt alijs in poſterum committendi ſimilia, aditus præcludatur; auctoritate Apoſtolica, hac cōſtitutione perpetuo valitura, ſtatuimus &

ordinamus, quòd omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſiue extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſorijs literis, etiam citramontanis (præterquam ſi in hoc vltimo caſu, per cameram Apoſtolicam, iuxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, à ſuorum ordinum executione, ipſo iure ſuſpenſi ſint; & ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea, vltra alias poenas in tales generaliter à iure inflictas, beneficijs eccleſiaſticis poſſint iure priuari.

§. 3. Volumus autem quod præſens noſtra conſtitutio, in Romana Curia exiſtentes, poſt quindecim dies; abſentes vero Italicos, poſt duos menſes; alios vero vltramontanos, poſt ſex menſes, ab ipſius in audientia Contradictarum & Cancellaria Apoſtolica, publicatione & affixione, ligare incipiat. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo, quintodecimo Kal. Decem. Pont. noſtri anno 4.

De hac Conſtitutione ſit mentio in Regula ſexageſima tertia.

Literæ indictionis ſex Decimarum ſuper omnibus fructibus,& penſionibus Eccleſiaſticis Italiæ.

PAVLVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

IN ſpecula militantis Eccleſiæ à Domino per eius diuinæ gratiæ abundantiam, nullo licet merito noſtro, conſtituti, & inteſtina mala, quibus inclita Germania, & illi vicinæ Prouinciæ afflictantur; necnon quanto hoſtis humani generis conatu Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Catholicorum res ibidem oppugnentur, Paſtorali ſollicitudine conſiderantes, non poſſumus non grauiter commoueri: nemo enim neſcit, quantis ſeditionibus,rebellionibus,ac funeſtis hæreticorum motibus omnia fluctuent, vt in locis, quæ à Catholicæ Fidei hoſtibus occupantur, diuina, humanaq. iura,ac Sacroſancta Dei templa violentur, ſacræ cærimoniæ ablegentur, ſacrificia ceſſent, Dei, Sanctorumq. honor nullus

nullus, contumeliæ, & opprobria multa ſint. Quæ ſanè calamitates cum Eccleſiæ (hoc eſt myſtici Corporis Chriſti) tam principalia membra affligāt, cetera membra vna nobiſcum, qui huius corporis, licet indigni, viſibile caput à Domino conſtituti ſumus, merito condolere debent. Quapropter nos in hoc rerum calamitoſo ſtatu, pro ea, quam de Catholicorum Germaniæ prædictæ, & vicinarum Prouinciarum huiuſmodi, qui non modica pars ſunt gregis Dominici Nobis diuinitus crediti, præcipuam habemus, ſollicitudine, officij noſtri partes eſſe duximus, eiſdem quacumque opportuna ratione poſſumus opem ferre, & communem cauſam Reipublicæ Chriſtianæ adiuuare. Cum verò Cameræ noſtræ apoſtolicæ vires valde debilitatæ ſint, & reditus ad ea comparanda præſidia, quæ præſentes neceſſitates poſtulāt, nequaquam ſufficiant, cogimur exemplo Romanorum Pontificū Prædeceſſorum noſtrorum ad aliarum Eccleſiarum peculium, Chriſtiq. Domini patrimonium, cuius cauſa nunc agitur, Nos conuertere, ſperantes in Domino nō iniquum quemque vrgentium harum neceſſitatum æſtimatorem, in tam ſanctum, pium, ac neceſſarium vſum pro Chriſtiana pietate libenter contributurum. Habita igitur ſuper his omnibus cum Vene-

rabilibus

rabilius fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum conſilio & aſſenſu indicimus, & imponimus ſex integras decimas omniũ, & quorumcumque fructuum, redituum, prouentuum, iurium, obuentionum, diſtributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorũ omnium & quarumcumque Eccleſiarum, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarũ, & Parochialium, necnon Monaſteriorum, & Conuentuum; ac etiam menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium; Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, Præbendarum, Dignitatum, Perſonatuum, Adminiſtrationum, & Officiorum, ceterorumq. beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſecularium, ac ſancti Benedicti, ſancti Auguſtini, Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, ſancti Baſilij, Silueſtrinorum, & qui proprietates, redituſq. certos ex priuilegio, vel alias poſſident; Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum vtriuſque ſexus; necnon Congregationũ regularium (exceptis prædictis S. R. E. Cardinalibus ob aſſiduos, magnoſq. labores, quos ipſi Eccleſiæ vniuerſali impendunt,

pendunt,

pendunt, & granissima, quæ tuendæ dignitatis cauſa ſuſtinent, onera: ac exceptis etiam duodecim illis Congregationibus, quæ cum Camera Apoſtolica tempore fel. rec. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri de ſubſidio ordinario concordarunt) & præterea Hoſpitalium etiam pauperum hoſpitalitatem non exercentium, ſeu bona, & reditus vltra infirmorum neceſſitates, & alia, pro quibus inſtituta ſunt pia officia exercenda poſſidentium; necnon B. Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de Alto Paſſu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum, (Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, quæ pro ſui tutela contra Turcas, & alios Infideles alienis auxilijs quotidie indiget, dumtaxat excepta) in Italia vniuerſa conſiſtentium ſecundum verum annuum valorem fructuum, redituum, prouentuum, & aliorum prædictorum, niſi aliter cum Sede, & Camera Apoſtolica fuerit concordatum. Ac etiã indicimus, & imponimus ſex alias decimas omnium, & quarumcumque penſionum annuarum ſuper fructibus, reditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, & diſtributionibus ſupradictis, in fauorem quorumcumque (non tamen Cardinalium, & duodecim Congregationum huiuſmodi) aſſignatarum, & aſſignandarum, percipiendas, exigendas

das; & leuandas, ab omnibus, & quibuſcumque Epiſcopis, Archiepiſcopis & Primatibus, Patriarchis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, ac ceteris cuiuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, & conditionis perſonis prædicta quocumque iure, & titulo obtinentibus, & obtenturis; necnon Oeconomis, & Adminiſtratoribus perpetuis, & temporalibus vſufructuarijs, ac fructus, penſiones, res, & alia huiuſmodi iura, ex quacumque cauſa ſibi Apoſtolica auctoritate in toto, vel in parte reſeruata habentibus, & habituris ſecularibus, & regularibus ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hoſpitalium (non tamen S. Ioannis) prædictorum; necnon ab ipſis Eccleſijs, Capellanijs, Conuentibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, Hoſpitalibus, Militijs, Menſis, Maſſis, & locis quocumque priuilegio, & exemptione reali, perſonali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua ſuffultis. quos omnes ad hoc obligatos pro vna intra proximum diem feſtum S. Michaelis Archangeli, proximi menſis Semptembris, & pro alia in eumdem feſtum anni proxime futuri, & pro tertia partibus æqualibus intra illum ipſum diem feſtum conſequentis protinus anni, Cameræ prædictæ, & illius Depoſitario generali ad id conſtituendo,

omnino volumus perſoluiſſe. Eiuſdem vero Depoſitarij munus erit, ſedulo curare, vt quicquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter aſſeruetur, de mandato noſtro ſpeciali, in prædictos vſus dumtaxat, nec alias erogandum. Quicumque vero decimas huiuſmodi nullo modo, vel non integre ſcienter, aut non ſecundũ verum annuum valorẽ fructuum, redituum, prouentuum, iurium, obuentionum, diſtributionum, & emolumentorum; vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, vt præfertur ineundã, ſiue terminis conſtituendam nõ exhibuerint, ſeu in illorum exhibitione malitiam commiſerint, vel fraudem: Eccleſiarum Antiſtites ſuſpendimus à diuinis; Capitula vero, Conuentus, & Collegia quæcumque Eccleſiaſtico interdicto ſupponimus; ac ſingulares perſonas, Antiſtite inferiores, excommunicationis ſententia innodamus. Ceterum ad prædictas decimas conſequendas præcipimus etiam omnibus conductoribus, cenſuarijs, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & iurium prædictorum, etiam huiuſmodi penſionibus oneratorum, vt vtraſque Decimas nomine Dominorum, ac Penſionariorũ ad computum ſuæ quiſque locationis; omnibus vero poſſeſſoribus, vſufructuarijs, & alijs penſiones ſol-

uere

uere debentibus,vt ipſi etiã decimas penſionum huiuſmodi nomine Penſionariorũ, Cameræ & Procuratoribus prædictis integre perſoluant. Decernentes decimas fructuum,redituum, prouentuum, & aliorum iurium prædictorum ſecundum verum valorem annuum, vel ſaltem iuxta taxam, de qua cum S. R. E. Camerario, noſtroque, & Cameræ prædictæ Theſaurario generali, vt præfertur, concordauerunt; alias vero penſionum decimas ad rationem decem pro centenario præſtari deberi, & ſecundum ea prædictos omnes in ſolidum cogendos eſſe, ipſarumq. decimarum Procuratores à quibus libuerit integrè exigendi optionem, facultatemq. habere; neque vllas immunitates,& exéptiones, etiam ex cauſa reſignationis, ceſſionis, iuris, concordiæ, conuentionis: aut quacumque alia graui, & onerosa occaſione quocumque modo cóceſſas, & interim concedendas, integram ſolutionem huiuſmodi minuere, vel impedire, neque poſſeſſores, vſufructuarios, aut alios penſiones huiuſmodi ſoluere debentes, etiamſi ipſi iuri,& actioni petendæ, vel detrahendæ, vel retinendæ porcionis, & ratæ partis penſionarios contingentis iureiurando renunciauerint, atque ex forma d. Cameræ ampliſſima cauerint, modo aliquo obligari, neque ad

id pro

id pro dicto tempore conſtringi poſſe. Omnes verò confeſſiones, & quietantias receptionis decimarũ à Procuratoribus, & Miniſtris Cameræ prædictæ tam Conductoribus, cenſuarijs, & locatoribus nomine ſuorum principalium, quàm etiã ipſis, necnon poſſeſſoribus, vſufructuarijs, & alijs penſiones ſoluere debentibus nomine penſiònariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio, & extra illud vbique locorum fidem facere, acſi ipſiſmet principalibus & penſionarijs præſentibus, & ſoluentibus factæ, & exhibitæ fuiſſent. Conductores autem, qui pretiũ locationis Dominis lègitimè anticipauerint, locationem ſuam huiuſmodi, quam ad hoc prorogamus, vſque ad integrã ſatisfactionẽ, vt prius, etiam adueniente ſuc ceſſore cõtinuare debere; ſicq. per quoſcunque Iudices, ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari & definiri debere; ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vt autem omnia ſupradicta, ſicut cauſa vrgens poſtulat, diligenter, & fideliter executioni

cutioni demandentur, dilectum filium noſtrum Petrum tit. S. Mariæ Tranſtyberim presbyterum Cardinalem Aldobrandinum nuncupatum S.R.E. Camerarium, cuius integritas, atque experientia iampridem Nobis perſpecta eſt, generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem, in vniuerſa Italia, cum omnibus, & quibuſcumque priuilegijs, iuriſdictionibus, ac iuribus, quæ omnes alij ante hac huiuſmodi collectores habuerunt, auctoritate prædicta, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus; eiq. plenam, liberam, & abſolutam poteſtatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipſas Decimas Cameræ prædictæ nomine vbique procurandi, prædictos omnes, tam coniunctim, quàm diuiſim ad illarum integram ſolutionem vt prædictum eſt, faciendam etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi & requirendi; non parentes, fraudantes, & ceteros contumaces in cenſuras, & poenas prædictas incidiſſe declarandi; proprietates, res, fructus, & alia bona ipſorum, etiam manu regia apprehendendi, & vſque ad cōdignam ſatisfactionem retinendi, contradictores, & perturbatores, moleſtatores, & rebelles quoſcumque, eisq. auxilium, conſilium, vel fauorem, publicè, vel occultè quouis quæſito colore præſtantes,

ſtantes, cuiuſcumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, alijsq. cenſuris, & poenis Eccleſiaſticis, necnon pecuniarijs, ceterisq. iuris, ac facti remedijs compellendi, illasq. etiam iteratis vicibus aggrauandi; dignitatibus, beneficijs, & officijs omnibus priuandi, & amouendi, & ad futura inhabiles faciendi, interdictum Eccleſiaſticum apponendi, auxiliumq. brachij ſecularis quandocumque opus fuerit inuocandi: Ad ſanitatem verò reuerſos, qui debitè ſatisfecerint ab omnibus cenſuris, & poenis ſupradictis in forma Eccleſiæ conſueta abſoluendi, ſuper irregularitate forſan incurſa diſpenſandi, & ad priſtinum ſtatum omninò reſtituendi. Præterea Collectores, & Subcollectores, fide, & facultatibus idoneos in omnibus Ciuitatibus, Terris, & Prouincijs Italiæ prædictæ, quotquot viderit expedire, cum ſimili, vel limitata, non tamen abſoluendi, poteſtate, conſtituendi, eumq. vel eos arbitrio ſuo reuocandi; negligentes, & moroſos remouendi, ac alium, ſeu alios ſubrogandi quotieſcumque ei videbitur; in delinquentes, & ſuſpectos per ſe, vel alium, ſeu alios etiam ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij inquirendi, & meritis poenis puniendi, modos, & formas in prædictis ſeruandos

præſcri

præſcribendi, dubia quæcumque in præmiſſis fortè oritura declarandi; ac prorſus omnia & quæcumque circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, ſtatuendi, & exequendi, etiamſi talia forent, quæ mandatũ exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum. Non obſtañ piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus; necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, Militiarum, & locorum prædictorum iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, vſibus, & naturis; quodq. Prælatis, & perſonis prædictis, eorumq. Eccleſijs, & locis, vel quibuſuis alijs communiter, aut diuiſim à prædicta ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon perſonis, earumq. nominibus, & cognominibus, Eccleſijs Monaſterijs, Ordinibus, & locis huiuſmodi mentionem; & quibus libet alijs priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, in genere, & in ſpecie quomodocumque conceſſis, confirmatis, & innouatis; etiam

ſolutio-

ſolutionem Decimarum aliter quàm ſecũdum antiquam taxam, & niſi in vniuerſali Decimarum per orbem impoſitione fieri prohibentibus, necnon promiſſionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, & renunciationibus, vinculis, & cautelis in aſſignatione prædictarum penſionum factis, quibus per impoſitionem Decimarum huiuſmodi neminem teneri, neque eas quoad præmiſſa contra quemquã locum habere declaramus; alijsq. indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, & ſpecialibus cuiuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut omninò non inſerta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis; quæ omnia contra præmiſſa nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari; necnon alijs huiuſmodi impoſitionibus, & conceſſionibus ad tempus nondum elapſũ per Nos factis, ceterisq. contrarijs quibuſcumque. Ceterum in percipiendis Decimis prædictis Conſtitutionem recol. mem. Clementis Papæ V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennen̄ editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter leuari, nec calices, libri, cæteraq. Eccleſiarum ornamenta diuino cultui dicata ex cauſa pignoris capi, percipi,

cipi, vel diſtrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, vbique volumus obſeruari. Quin etiam præcipimus, ne quiſquam etiam plura quanticumque valoris beneficia Eccleſiaſtica, ſeu plures penſiones, aut fructus, ſeu talia mixtim obtinens; pro littera, & ſigillo quietantiæ vniuerſalis, ſi illam habere voluerit, vltra vnum carlenum conficientem quatrenos triginta ſeptem huius monetæ, ſoluere teneatur; nec ad aliud onus etiam prætextu cambij vſpiam compellatur. Quia vero difficile nimis eſſet præſentes litteras quocumque illis opus erit, perferre: Volumus quoque illarum exemplis etiam impreſſis, & Notarij publici manu, ac Petri Cardinalis & Camerarij prædicti, aut alterius Collectoris, ſeu Prælati Eccleſiaſtici, eiuſvè Curiæ ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud vbique locorum adhibeatur, quæ illis ipſis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum indictionum, impoſitionum, ſtatuti, ſuſpenſionis, ſuppoſitionis, innouationis, decreti, prorogationis, conſtitutionis, deputationis, tributionis, voluntatis, & præceptorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis

Dei, ac Beatorum Patri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam maiorem, anno Incarnationis Dominicæ MDCXIX. Id. Ianuar. Pontificatus Noſtri Anno Quintodecimo.

Ego Paulus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego A. Maria Epiſc. Oſtien̄ Card. Gallus.

Ego Antonius Epiſcopus Portuen̄ Cardinalis Saulius.

Ego Benedictus Epiſcopus Sabinen̄ Cardinalis Iuſtinianus.

Ego Franciſcus Maria Epiſcopus Præneſtinus Card. à Monte.

Ego Petrus tit. S. Mariæ Tranſtiberim presb. Card. Aldobrandinus S.R.E. Camerarius.

Ego Octauius tit. S. Laurentij in Lucina S.R.E. presb. Card. Bandinus.

Ego Dominicus tit. S. Petri in Monte Aureo presb. Card. Tuſcus.

Ego Dominicus Baſilicæ SS. Apoſtolorum presb. Card. Gymnaſius.

Ego Ioannes Cardinalis de Vincentia tit. S. Marci.

Ego Iacobus tit. S. Stephani in Monte Coelio presb. Card. Sanneſius.

Ego Scipio tit. S. Chryſogoni presb. Card.

Bur-

Burgheſius Maior Poenitentiarius.
Ego M. tit. S.Honuphrij presb.Card.Barberinus.
Ego Io. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatorum presb. Card. Millinus.
Ego M. tit. SS. Quirici, & Iulitæ presb. Card. Lantes.
Ego F. tit. S. Auguſtini presb. Card. Verallus.
Ego Io. Baptiſta tit. S. Cæciliæ presb. Card. Lenius.
Ego Io. tit. S. Clementis presb. Card. Bonſius.
Ego Philippus tit. S. Mariæ de Populo presb. Card. Philonardus.
Ego P. tit. SS. Nerei, & Achillei presb. Card.Creſcentius.
Ego Horatius tit. S. Saluatoris in Lauro presb. Card. Lancellottus.
Ego Gaſpar tit. S. Crucis in Hieruſalem presb. Card. Borgia.
Ego Robertus tit. Sanctæ Pudentianæ presb. Card. Vbaldinus.
Ego Tiberius tit. Sanctæ Priſcæ presb. Card. Mutus.
Ego Ladiſlaus tit. S. Mariæ ſuper Mineruam presb. Card. de Aquino.
Ego Petrus tit. S. Thomæ in Parione presb. Card. Camporeus.
Ego Matthæus presb. Card. Priolus tit. S. Hieronymi Illyricorum.

Ego Scipio presb. Card. S. Suſannæ S.R.E. Bibliothecarius.

Ego Alexander S. Laurentij in Damaſo Diac. Card. Montaltus S. R. E. Vicecancellarius.

Ego Andreas S. Euſtachij Diaconus Cardinalis Perettus.

Ego A. S. Angeli Diaconus Cardinalis Capponius.

Ego A. S. Mariæ in Coſmedin Diac. Cardinalis Vrſinus.

IO. Baptiſta Bolognettus.

N. Odot.

Regiſtrata in Secretaria Apoſtolica.

In nomine Domini; Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem D. N. IESV CHRISTI Milleſimo ſexenteſimo vigeſimo, Indictione tertia, die vero decimaquarta menſis Ianuarij, Pontificatus Sanctiſsimi in Christo Patris, & D. N. D. PAVLI Diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno quintodecimo: Retroſcriptæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in Valuis, ſeu Portis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Auguſtinum Braccherium, & Dominicum de Rubeis Apoſtolicos Curſores.

Octauius Spada Mag. Curſ.

De

De hac Conſtitutione ſit mentio in Regula 64. in 2. eius parte, & habetur in Bullario nouo, *vbi eſt 35. in ordine,* tom. 2. fol. 221.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

ADmonet nos ſuſcepti cura regiminis vniuerſalis Eccleſiæ, cui auctore domino præſidemus, vt Ciuitates, Terræ, Oppida & Loca, nobis & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus mediate & immediatè ſubiecta perpetuo, in iure, dominio, & proprietate ac poſſeſſione dictæ Sedis conſeruentur.

§. 1. Sane licet nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri per eorum Conſtitutiones, rerum Eccleſiaſticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint; nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitioni, & dominandi cupidi ſub varijs prætextibus, coloribus, & cauſis, ſæpe etiam falſis (quod non ſine maximo animi noſtri moerore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus ſuggeſtionibus & inſinuatonibus ſuis conati

ſint oſtendere, & perſuadere magis vtile, & expediens S.R.E. & Sedi præfatæ fore, ſi aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Caſtra, Arces, & Loca, ad ius & proprietatem eiuſdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, ſeu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo quod alias in feudum data aut quouis alio titulo huiuſmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad Sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda, poſſe & debere de iure iterum infeudari, & alienari, atq; inde nonnullas alienationes, infeudationes, & conceſſiones à Sede Apoſtolica emanaſſe, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non ſolum patrimonij, ſed etiam æſtimationis recepiſſe dignoſcitur.

§. 2. Hinc eſt quod nos conſiderantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum ſingularem fidem, & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde vtilem & ſalutarem fuiſſe, & eſſe; ac volentes non ſolum alienationes huiuſmodi (quas tempore noſtro omnino exulare intendimus) de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicamus, quos non immemores fore ſperamus ante Do-

mini noſtri Ieſu Chriſti in examine diei magni aduentus tribunal, villicationis noſtræ rationem reddituros nos eſſe, ſed vt omnis alienationum huiuſmodi fiendarum occaſio penitus aboleatur, quantum cum Deo poſſumus, per amplius prouidere, conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum huiuſmodi etiam inhærendo, illaſque innouando, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera animi noſtri deliberatione, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, habita etiam ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto cõſultatione matura, de eorum conſilio, & vnanimi aſſenſu (qui etiam iurauerunt præſenti Conſtitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præſentium attentantibus conſentire, & abſolutiones à iuramento huiuſmodi non petere, nec acceptare) hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus, Ciuitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudũ, aut quemuis alienationis titulum dari ſolita, vel conſueta, ad nos & Sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tẽpore deuoluenda, abſq. alia vlteriori declaratione, & illorum poſſeſſionis appre-

henſione eo ipſo Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ incorporata, ac ad ius, & proprietatem, & dominium priſtinum, ad poſſeſſionem redijſſe cenſeri, perinde ac ſi per quadraginta annos & vltra, Ciuitates, & Loca præfata, à nobis & Sede præfata immediate poſſeſſa, & nunquam in feudum, aut alium titulum conceſſa fuiſſent.

§.3. Statuimuſque, & decernimus, quod omnes, & ſingulæ tam Communitates, & Vniuerſitates, quam Ciues, & incolæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcunque perſonæ, tam Eccleſiaſticæ quam ſeculares, cuiuſuis dignitatis & ordinis etiam Epiſcopalis, vel maioris exiſtentes, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, tam publice in conſilijs Ciuitatum, & Locorum præfatorũ, quam priuatim alibi in quibuſuis locis, etiam Ciuitatum, & Terrarum earundem Gubernatores, aut & Sedis Apoſtolicæ Legati, vel Prolegati exiſtant, tractantes, conſulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis præfatis immediate ad nos & Sedem præfatam ſpectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari ſolitis, etiam ex cauſa permutationis, vel ſub annuo cenſu, aut ca-

pone,

none, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut ſub prætextu neceſſitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, ſeu de poſtulandis à nobis, & Sede præfata quibuſuis perſonis cuiuſuis dignitatis, ſtatus, gradus, etiam nobis, & ſucceſſoribus noſtris ſecundum carnem coniunctis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aut quauis alia, temporali vel Eccleſiaſtica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, ſeu quemuis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, Ciuitatum & Locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos, & ſucceſſores noſtros ſuper præmiſſis, vel illorum occaſione mittendis proponentes, tam ipſi quã Oratores munus huiuſmodi recipientes, aut alij quicunque alienationes huiuſmodi Romano Pontifici pro tempore exiſtẽti, per ſe vel alium ſeu alios, inſinuantes vel ſuadentes, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua niſi ab ipſo Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolui nequeant; & inſuper Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læſæ maieſtatis, & proditores Ciuitarum, & Locorum præfatorum, ac bona eorum

fiſco, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſo iure deuoluta, & incorporata ſint, & eſſe cenſeantur. omnibuſque Eccleſijs, Monaſterijs, & alijs per eos quomodolibet obtentis beneficijs Eccleſiaſticis eo ipſo priuati exiſtant, neq. ad Ciuitates, & loca præfata vllo vnquam tempore remitti poſſint. Et ſi aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illiſq. bonorum & dignitatum portæ perpetuo claudantur.

§.4. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Caſtra, Arces, & loca ad vitam, ſeu tertiam, vel aliam generationem, aut alias à dicta Sede, etiam ex cauſa oneroſa, obtinere, habere, & poſſidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoueri non poſſint, niſi reſtitutis ſibi prius pecunijs in melioramenta huiuſmodi expoſitis, omnes, & ſingulas facultates faciendi melioramenta, præfata quibuſuis perſonis etiam Cardinalibus per eoſdem prædeceſſores noſtros aut alios, ad id facultatem habentes quomodolibet conceſſas, harum ſerie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps ſuffragari poſſe, neque debere, ac cuicunque facultatem faciendi melioramenta huiuſmodi habenti, illa etiam pro munitione, & tuitione, niſi ex cauſa ne-

ceſſariæ

ceſſariæ conſeruationis Locorum eorundem facta fuerint, poſt publicationem præſentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus: & ſi ſecus à quoquam factum, attentatumue fuerit, melioramenta quæcunque per eos contra tenorem præſentium facta locis ipſis cedere, & Cameram ad illorum ſatisfactionem minime teneri, & obligatam eſſe volumus, & declaramus.

§. 5. Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis reuocationibus, caſſationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus ſub quibuſuis tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis pro tēpore quomodolibet factis minime comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas eſſe, & cenſeri debere.

§. 6. Irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ciuitatum, & Locorum prædictorum iuramento, cōfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & cōſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

§. 8. Sic

§. 8. Sic igitur deuotionis, & fidei conſtantia Ciuitatum, & Locorum præfatorum erga nos, & ſucceſſores noſtros, & eandem Romanam Eccleſiam perſeueret, vt meritó integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede conſequi mereatur.

§. 9. Volumus autem quod ſicut omnes & ſinguli Cardinales præſentes Conſtitutionem huiuſmodi, quantum in eis erit, obſeruare, illiq. non contrauenire, nec Pontificibus contra facientibus conſentire, aut abſolutioné à iuramento præſtito non petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare in Conſiſtorio noſtro ſecreto promiſerunt, & iurarunt, idem per abſentes Cardinales à Conſiſtorio, in habitatione eorum, & à Romana Cur. vt quandocunque ad eandé Curiam ſe contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in aſſumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promiſſionem, & iuramentum huiuſmodi in formula iuramenti per eoſdé Cardinales præſtari ſoliti adiungi, & inſeri debere; ac contrafacientes poenam periurij, & perpetuæ infamiæ iuris & facti, eo ipſo incurrere decernimus. Præterea quod ipſi Cardinales, occurrente Apoſtolicæ Sedis vacatione, in Conclaui quando de obſeruandis literis Iulij Papæ II. prædeceſſoris noſtri ſupèr electione Romani Pontificis, & alijs conſtitutio-

tutio-

tutionibus iuramentum præſtare ſolent, etiam de inuiolabiliter obſeruanda præſenti Conſtitutione noſtra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſt modum idem ad Summi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt eius aſſumptionem hoc ipſum promittere, ac iurare, & deinde poſt coronationem ſuam, promiſſionem, & iuramentum huiuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod ſi illud à Pontifice (quod credendum non eſt) recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Conſiſtorio ſecreto, & præcipue eorum Decanus, & capita Ordinum apud eum omni cum inſtantia, & inſtantiſſime pro præſentium obſeruatione petere, & rogare, ac obteſtari non ceſſent, idque vt omnino efficiat, diligentiſſime curare ſtudeant, ſtatuimus, & ordinamus.

§. 10. Quodq. præſentes literæ in libellum redigantur, & poſt prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclaui legi ſolent, inter alias Conſtitutiones noſtras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ cum alijs Extrauagantibus noſtris deſcribantur, ac ad valuas Baſilicæ Beati Petri Principis Apoſtolorum, & in Cancellaria noſtra Apoſtolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia diffi-

difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, decernimus etiam & declaramus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbique, in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, reuocationis, decreti, ſtatuti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario cōtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

ELENCHVS
OMNIVM
REGVLARVM.

PRooemium. pag. 11
Reg. Reſeruationes generales, &
1 ſpeciales. pag. 15. & 19
2 Extēſio reſeruationis Beneficiorum per aſſecutionem pacificam vacaturorum. 24
3 Reſeruatio Cathedralium Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac de tempore vacationis Epiſcopatuum vacaturorum beneficiorum. 27
4 Reſeruatio Dignitatum, necnon ſuorũ, & S.R.E. Cardinalium familiarium, beneficiorum. 30
5 Reſeruatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum. 34

Reſer-

6 *Reſeruatio beneficiorum Curialium, dū Curia tranſfertur.* 36
7 *Reſeruatio beneficiorum Cubiculariorum, & Curſorum.* 37
8 *Reſeruatio beneficiorum Eccleſiarum S. Ioan. Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, & beneficiorum titulorum Card. à Curia abſentium.* 40
9 *Reſeruatio Menſium Apoſtolicorum, & de Alternatiua pro Epiſcopis reſidentibus.* 43
10 *De literis in forma Rationi congruit expediendis.* 53
11 *Declaratio reſeruationis Eccleſiarum, & beneficiorum per Prædeceſſores reſeruatorum.* 56
12 *Reualidatio literarū Prædeceſſoris, gratiæ & iuſtitiæ, infra annum conceſſarum.* 57
13 *Reuocatio vnionum.* 59
14 *Reuocatio facultatum quibuſuis conceſſarum.* 62
15 *Reuocatio facultatum conferendi beneficia reſeruata.* 64
16 *De dictionibus numeralibus.* 66
17 *De concurrentibus in Data.* 67
18 *De non tollendo ius quæſitum.* 71
19 *Regula de viginti,* ſeu *de infirmis reſignantibus.* 73
20 *De Idiomate.* 75

De

21 De non impetrando beneficiam per obitum viuentis. 76
22 De vnionibus, & vnionum confirmatione. 78
23 De Mendicantibus transferendis. 80
24 De male promotis. ibid.
25 De moneta. 81
26 De beneficijs vacaturis per promotionē ad Eccleſias, & Monaſteria. 82
27 De non iudicando iuxta formam ſupplicationum, ſed literarum expeditarum. 85
28 De Regulis Cancellariæ producendis. 88
29 De ſubrogandis Collitigantibus. 90
30 De veriſimili notitia. 94
31 Non valeant Commiſſiones cauſarum niſi literis expeditis. 95
32 De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium. 97
33 Super eadem familiaritate. 100
34 Signatura per Fiat, præferatur alteri per Conceſſum. 102
35 De Annali poſſeſſore. 103
36 De Triennali. 107
37 De non appellando ante diffinitiuam ſententiam. 110
38 Non ſtetur commiſſioni poſt concluſionem. 112
39 De literis Religioſorū expediendis. 113
40 De clauſula ponenda in literis permutationum beneficiorum. 114

De

41 *De ſupplendis defectibus.* 116
42 *De Derogatione Iuris patronatus.* 117
43 *De Commendis.* 119
44 *De Reformationibus.* 120
45 *De conſenſu in reſignationibus, & penſionibus.* 122
46 *De ingreſſu Religionis.* 124
47 *Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.* pag. 125
48 *De executione facienda.* 126
49 *De diſpenſationibus in gradibus conſanguinitatis.* 127
50 *Super defectu natalium.* 128
51 *Super Diſpenſationibus.* 129
52 *Nulli ſuffragetur diſpenſatio niſi literis confectis.* 130
53 *De clauſulis ponendis in literis Indulgentiarum.* 131
54 *De Indulgentijs conceſſis Adinſtar.* 132
55 *De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.* 133
56 *De clauſulis in beneficijs vacantibus ponendis.* 135
57 *De expreſſione qualitatum beneficiorũ in impetrationibus.* 138
58 *De beneficijs vacantibus per contractum matrimonij.* 139
59 *De clauſulis ponendis in literis Religioſorum.* 140
60 *De tranſlatione Religioſorum.* 141

De

61 *De clauſula, ſi eſt ita.* 142
62 *Petenti prouideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti.* 143
63 *Reuocatio Decimarum, & aliarum impoſitionum.* 144
64 *Reuocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.* 146
65 *Quòd fructus in Tertia parte augeri poſſit vigore clauſulæ.* 150
66 *De inſordeſcentibus.* 153
67 *Officiales nihil exigant vltra debitum. pag.* 156
68 *Quòd Cardinales non comprehendantur ſub regulis facien.* 158
69 *De poteſtate Reuerendiſſimi Domini Vicecancellarij, & Cancellariam Regentis.* 159

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

pag.	*lin.*	*Errata*	*Corrige.*
29	15	feri	fieri
32	23	procedens	præcedens
42	1	canonicorum	canonicatus
57	8	Ad Romana	Ad Romani
70	12	ex ec loco	ex eo loco
72	19	Vulpiano	Vlpiano
73	5	emanantis	emanatis
152	5	vrior	verior
162	12	iuriſctionem	iuriſdictionem

ROMÆ,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
M. DC. XXI.

SVPERIORVM PERMISSV.